12548. V. G. c.

VIA CÆLI COMPLANATA,

SEU

DETECTA SALUTIS IMPEDIMENTA,

ET METHODUS EADEM SUPERANDI,

Italicè primum edita

âR.P. JOAN. PINAMONTI

Soc. JESU.

Dein latinè edita

Ab alio ejusdem Soc. Sacerdote.

Oblata in Xenium

A

Majore Alma Sodalitate

Sub titulo & tutela

Beatissimæ MARIÆ Virginis

Glorioſè in cœlos Assumptæ

In Archi-Ducali & Academico

Soc. JESU Collegio Labaci

erecta, & confirmata.

ANNO â partu Virginis M. DCC. XXXII.

Ab erecta Congregatione. CXXVI.

LABACI,

Typis, Adami Friderici Reichhardt.

BIBLIOTEKA ZR LABACH

030030886

REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI,
AC
CLARISSIMO DOMINO,
DOMINO

JOANNI JACOBO SCHILLING.

Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctori,
Protonotario Apostolico, Cathedralis Ecclesiæ Labacensis Canonico.
Nec non per Diœcesim Labacensem
VICARIO GENERALI.

Domino, Domino Sodali, Patrono, ac Mœcenati suo Gratiosissimo.

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS, AC CLARISSIME

Domine, Domine.

Iam Cœli complanatam dum Sodalitas noſtra in commune omnium ſpirituale bonum offerre in ſtrenam conſtitueret, cujus potiſſimùm nomini, ac honori partum hunc aureum conſecraret, diu, multúmque ſolicita fluctuabat. Non enim eodem itinere Mariani clientes gradiuntur ad aſtra. Hinc opus erat Viro, qui Gigantæis paſſibus, quam *Complanatam* exhibemus, *Viam Cœli* magna ex parte jam decurriſſet, cujus proin veſtigijs inſiſtere reliqua Sodalium turba non tam invitaretur, quàm traheretur. Hunc in Te reperimus REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS, ac CLARISSIME DOMINE, DOMINE, Qui longiſſimo temporis tractu & cœtum hunc Marianum Aſſumptæ in Cœlum Virginis exornas, & herois virtutibus in ſtuporem & admirationem adducis. Im-

Impedimenta salutis generoso ausu jam olim removisti, dum studijs navans operam, nunquam satis deprædicandam *Vitæ Ecclesiasticæ* militiam es amplexus, atque ab ea nullius Syrenis, nullius Dalilæ blanditijs *Te* removeri es passus. Nimirum jam tunc divinæ Sapientiæ amor arcem pectoris Tui insedit penitus, Religio occupavit. Quem Tecum è pulvere Scholastico in patriam cum insigni doctrina & eruditione adduxisti præcipuarum virtutum comitatum, continuis auxisti incrementis. Si de doctrina est sermo? Ea in Te non modò AA.LL. & Philosophiæ, sed & suprema SS. Theologiæ Laureâ est condecorata. De eruditione si quæras? Viva es Bibliotheca, & totius Almæ Diœcesis Labacensis, notitiæ Ecclesiasticæ promptuarium. Si de prudentia, arduisque in negotijs discernendi sapientiâ? Jam inde à *Celsissimo ac Reverendissimo S. R. I. Principe è Comitibus de Cauniz*, etiam ejusdem Celsissimi Successores Ordinarij in quartum lustrum in Te Vicarium Generalem habent Vigilantissimum. Imponunt nempe humeris Tuis, licet reluctantis, in gregem dominicum partem solicitudinis, ut quem Ipsi nanciscuntur Antoninum consiliorum, Patrem Provincia habeat, & secundum à Pastore Principe Moderatorem.

Quid, quòd & in *Te* verificetur illud Psalmistæ: Misericordia & veritas obviave-

runt

runt sibi: justitia & pax osculatæ sunt? *Ps. 84. v. 11.* Primam deprædicant pauperes, Orphani, viduæ, Religiosæ familiæ, & imprimis Capucinorum illa, cujus Patres congregatos totius Capituli Provincialis tempore Tu solus nuper liberalissimè sustentâsti. Quærentibus, ad Te confluentibus, veritatem exhibes: justitiam litigantibus: dissidentibus pacem.

Religionem in DEUM, & superos? salutis animarum, & divinæ gloriæ Zelum ardentissimum, quô sex Illustris Parœciam Crainburgensem Pastor optimus administras? Affabilem comitatem morum suavi cum gravitate conjunctam (quâ omnium amorem ac venerationem Tibi concilias) in medium adducam? Offert se summa temperantia: ea se sistit modestia, magnique Tui animi demissio, quâ, quas alij avidè venantur, Tu ultro oblatas insulas, ac Diœceses recusas. Narrabit hæc alijs regionibus Tui nominis fama: sera narrabit hujus Provinciæ posteritas, atque in cœlo Ecclesiastico Te primæ magnitudinis sidus venerabitur.

Vides REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS, ac CLARISSIME DOMINE, DOMINE MOECENAS! quàm gigantæis passibus *Viam Cœli* & Tibi complanaveris *Ipse*, & decurreris? Hæc itáque nulli alteri dedicanda erat, quàm Tibi, in quem omnium

So-

Sodalium oculi reſpicere poterant, cujus exemplum omnium veſtigia imitari. Demum munificentiæ Tuæ amplitudinem, quâ vota noſtra prævenire dignatus es, gratô animô, æternáque memoria recolet

REVERENDISSIMÆ, PERILLUSTRIS, ac CLARISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ.

Devinctiſſima
Major Academica Sodalitas Labacenſis.

UNum ex maximis beneficiis, quæ nobis humana in carne DEUS exhibuit, fuit istud, quòd illa, quæ multifariam in via salutis se se nobis opponunt, impedimenta removerit. Istud est, quod tanto jam ante tempore divino edoctus spiritu prædixerat Isaias Propheta, ubi DEUM, cùm in hunc mundum descenderet, vias asperas complanaturum, & sinuosis anfractibus impeditas effecturum directas edixit: *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Is. 44. Duplici autem medio tam insigne nobis beneficium præstare voluit Redemptor Optimus. Inprimis divinâ suâ doctrinâ, sanctissimísque exemplis hæc ipsa salutis impedimenta nobis detegendo: dein divinâ suâ

gra-

gratiâ, quò certiùs illa devinceremus, debiles noſtras vires ſuffulciendo. Hæc proinde tam benevola, atque ad ſalutem noſtram tam proficua Amabiliſſimi Servatoris Noſtri intentio, ut effectum ſortiretur, exiguus iſthic, quem manu tenes, libellus conſcriptus eſt; continens materiam, quæ Chriſtianorum neceſſitatibus videtur omnium maximè accomodata; quam proin, ut in præſentiarum clarè pertractemus, unamquamque Lectionem in tria puncta dividemus. In 1. impedimenti cujusque naturam; in 2. damnum, quod affert ſaluti; in 3. remedium exponemus, quo ab illo liberare, ſi velis, te facilè poſſis. Boni ſuperi dent & VELLE & PERFICERE.

LE-

LECTIO I.
DE IMPEDIMENTO,
Quod affert ſaluti noſtræ Languor in fide.

SI quis litem haberet in judicio, è cujus deciſione, ſpe omni ulterioris appellationis adempta, omnes ſuæ fortunæ, honor, fama, ipſa denique vita dependeret, indubitatum omnino eſt, quin talis extremas tum corporis tum animi vires, omnésque facultates in id unum ſolertiſſimè impenderet, nullúmque remedium, ùtùt difficillimum, dummodo ad procurandum felicem tantæ rei eventum fore idoneum videret, intentatum relinqueret, ut victoriam reportaret. Et tamen, quid foret lis ejusmodi, niſi jocus quidam puerilis, ſi cum illa comparetur, qua omnis homo Chriſtianus in vita præſenti conſtanter vivit implicitus; ubi duas inter æternitates poſitus, de cauſæ ſuæ exitu ſemper pendet incertus, & ignorat, an poſt mortem habiturus ſit in DEO Patrem miſericordiarum, qui ipſum æterna felicitate ſit donaturus in cœlo; an verò juſtitiæ Vindicem, qui perpetuis eum ſuppliciis ſit crucia-

turus in inferno? hoc tamen non obstante, communiter apud homines non modò tantam non videmus solicitudinem, ut causam hanc omnium longè gravissimam ad felicem exitum perducant, sed è contrario cernimus potiùs, eos nova sibi ipsis identidem, & nova ponere obstacula, quæ tanti momenti victoriam ùt plurimùm impediant, ac si ultro in ruinam properarent. Quapropter, cùm in libellis Xeniorum id præcipuè tractetur, ut secutam reddere animæ nostræ salutem possimus; non videtur utilior pro DD. Sodalium lectione inveniri posse materia, quàm si illa impedimenta in medium afferamus, quæ nostræ saluti potissimùm adversantur, quæque reliquorum omnium, & ipsius quoque sunt radix peccati, quod impedimentorum omnium est maximum. De hac proinde materia in præsentiarum tractabimus, eámque claritatis, & tædij levandi gratiâ in tria semper puncta dividemus. In 1. impedimenti naturam; in 2. damna ex illo emergentia; in 3. remedium, quo removere illud poterimus, ob oculos ponemus. Primum locum illi concedamus, quod reliqua omnia post se trahit, & est Languor in fide.

Fides est virtus, quæ partim residet in intellectu, qui superno illustratus lumine veritatibus à DEO nobis revelatis firmissimè assentitur; partim etiam voluntatem afficit, quæ

quæ & ipsa cœlesti collustratione excitata intellectum inclinat, eidémque assensum firmissimum, iis ipsis rebus propter supremam DEI revelantis authoritatem præstandum, imperat. Unde fidei debilitas duplici ex radice enascitur; una in eo posita est, quòd intellectus cùm ipsa mysteria revelata, tum etiam credendi motiva tantùm obiter apprehendat; altera verò in hoc, quòd voluntas erga eadem parùm afficiatur, nec, ut ea penetret, multùm curet. Videbis quandoque ex Christianis non paucos, quos potiùs nascendi conditio, quàm bona voluntas fidelibus adjunxit. Sunt fideles, quia per Baptismum ingressi sunt Ecclesiam: de cætero autem tam parùm sciunt de illis prærogativis, quibus Religio nostra supra omnes alias sectas altissimè eminet; tam parùm vitæ suæ rationem doctrinæ Evangelicæ dogmatis conformant, ut vix ullo ex capite distinguere ab infidelibus queas. *Quis tu hic, aut quasi quis hic?* Isaias Propheta exclamat, quasi dicat: tu quis es, qui, ut ita loquar, unico tantummodo pede in Sancta stas Ecclesia, nec aliud quidquam in te exhibes veri Christiani præter inane illius nomen? jure igitur merito, diminutam esse multorum fidelium fidem, lamentari cum Regio Propheta possumus: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Ps. 11. eò quòd quàm plurimi, tametsi credant proposita sibi my-

ſteria, credant fide uſque adeò obſcura, tamque parùm dono intellectûs illuſtrata, ut ea ferme ratione illius veritates attingant, qua cœcus ille homines vidit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Marc 8. DEUS, qui naſcitur in ſtabulo, ut rerum humanarum contemptum nos edoceat; DEUS, qui triginta vitæ ſuæ annos in paupercula fabri lignarij officina exigit, ut ad humilitatem nos erudiat; DEUS, qui omnes Paleſtinæ regiones nudipes peragrat, ut viam ad cœlum nobis oſtendat; DEUS, qui, ut peccatum deſtruat, in cruce acerbiſſimam obire mortem non dubitat; nihil admirationis in eorum cordibus excitat: & qui Senecam admirantur, quòd Philoſophiæ placita dictando, mortem oppetierit, qui notam illam Trajani charitatem, qua proprium diadema conficiendis falcis, ad obligandas vulneratorum militum plagas impendi voluit, ſtupentes ſuſpiciunt; ſine ullo quaſi ſenſu perſiſtunt, ſi altiſſima ſacri Evangelij dogmata percipiunt; ſi Filium DEI, ut animarum noſtrarum vulnera perſanaret acerbiſſimis quibusque tormentis innocentiſſimam ſumſit carnem obtuliſſe intelligunt. *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Simili modo, & hîc quidem multò adhuc ampliùs, deficere fidem deprehendimus, prout hæc eſſe debet non ſolùm regula credendi, ſed etiam operandi: illi enim ipſi, qui Chriſtum JE-

SUM

SUM in revelatis nobis mysteriis Magistrum agnoscunt, haudquaquam se illi in sua vivendi methodo subjiciunt: & quando ex infallibili Divini Servatoris ore intelligunt, beatos esse illos, qui ipsius amore persecutiones patiuntur; illos, qui ipsius amore paupertatem amplectuntur; illos, qui ipsius amore deliciis abstinent; qui ipsius amore injurias condonant; his omnibus, aliisque similibus sanctioris vitæ regulis suo in corde resistunt, dicendo; hæc omnia quidem vera esse secundùm DEUM, non autem secundùm mundum; & hac tam vesana distinctione sufficienter se omnibus Incarnatæ Sapientiæ rationibus respondisse arbitrantur: unde illorum fides similis est argento vivo, quod ubique aurum sequitur, præterquam in igne; ita illorum fides Divini Magistri authoritatem sequitur, quamdiu hæc authoritas eorum passionibus non adversatur; secus si contingat, protinus destituunt.

DE DAMNO,

Quod saluti nostræ affert hujusmodi fides.

QUis pro dignitate jam explicet omnia illa mala, quæ ex fatali hac scaturigine, fidei nimirum debilitate, in populum Christianum emanant. Potest cum veritate dici, nullum esse malorum genus, quod non ex hoc

fonte deſcendat; eámque cauſam eſſe præcipuam, ob quam innumerabiles animæ æternis inferorum ſuppliciis mancipentur. *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt*, inquit Huſſæus Princeps S. Job. c. 4. v. 20. ubi illud præcipuè advertas, velim, quòd non dicat: peribunt in æternum, quia non credunt, ſed quia non intelligunt: *Quia nullus intelligit.* Ita pariter miſerandi illi peccatores, qui coacti ſunt in inferno confiteri inſaniam ſuam: *Nos inſenſati &c.* non ideò in lamenta erumpunt, quòd non crediderint; ſed quòd non bene intellexerint; *Sol intelligentiæ non ortus eſt nobis. Sap. 5. 6.* Verùm ut magis ad particularia deſcendamus; omnia illa mala, in quæ Chriſtianum populum fidei debilitas propellit, ad duo reduci capita poſſunt, nempe lucrum ceſſans, & damnum emergens. Ad hoc denique languida fides deducit, ut omnem virtutem amittamus, & in omne ſcelus miſerè proruamus.

Primò igitur defectus fidei Chriſtiano populo pretioſiſſimum illum virtutum omnium aufert theſaurum, qui eundem primis Eccleſiæ temporibus adeò divitem reddebat. Hujus theſauri magnitudo aliqua ratione ex magnitudine Charitatis colligi poteſt, quæ utpote virtutum omnium Regina omnem reliquarum apparatum poſt ſe trahit. Charitas ergo, quâ Chriſtiani tunc temporis in DEUM

ſe-

ferebantur, adeò erat incensa, ut, teste Tertulliano, tantus illorum, qui crudelissimis tyrannorum tormentis sese ultro offerrent, numerus reperiretur, ut Antonius Asiæ Proconsul, & Tyberianus Palestinæ Gubernator Adriano & Trajano perscriptis litteris denunciarent, se tantam non potuisse carnificum invenire copiam, quæ tot Christianis, qui ultro ad supplicia accurrerent, occidendis sufficeret: Porrò hæc ipsa Charitas eò usque etiam erga proximum ascendebat, ut S. Clemens suo tempore ex Christianis non paucos se novisse testetur, qui fortunis suis omnibus in pauperes distributis, tandem venumdare semetipsos, & durissimam subire servitutem non dubitarent, ut hac saltem ratione acquirerent, quo proximi necessitatibus subvenirent. Nunc autem talia Charitatis prodigia inter Christianos quis facilè reperiat? & quam tandem istud præcipuè ob rationem, nisi ob fidei debilitatem? Arborem quandam suis frondibus spolia; refarciet brevi iterum exarmatus truncus illatum sibi damnum, & amputati ramusculi vivaciori, quàm unquam aliàs virore efflorescent: at verò radicem succide, aut subtracto naturali vigore illius vires enerva; post brevem temporis lapsum rami simul cum stirpe exarescent. Jam verò, quod radix est arbori, hoc ipsum est animæ Fides: hæc principium est vitæ illius: hæc est, quæ

animam frugiferam efficit, eidémque alimenta ſubminiſtrat. Unde & radix immortalitatis nuncupatur : *Scire juſtitiam & virtutem tuam radix eſt immortalitatis.* Sap. 15. 3. Quare, ſi vivit Chriſtianus homo, de fide vivit: *Juſtus autem meus ex fide vivit.* Rom. 1. 17. Si adversùs eum inferorum poteſtas inſurgat, fide ſe defendit; *Cui reſiſtite fortes in fide.* 1. Pet. 5. Si infelici lapſu DEI gratiâ excidat, fides eum mediante pœnitentia in priorem Divinæ amicitiæ gradum reſtituit: *Fide purificans corda eorum.* Act. 15. uno verbo, Fides fœcundiſſima illa eſt radix, ex qua omnes, quotquot Chriſtianam exornare animam poſſunt, virtutes progignuntur. *Miniſtrate in fide veſtra virtutem*, inquit S. Petrus, *in virtute autem ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* 2. Pet. 1. hanc igitur radicem qui detruncat, aut enervat virtutem, nec fructum ſolummodo, ſed folia etiam, externam ſcilicet Chriſtiani hominis formam, deperdit.

Magnum equidem malum eſt lucrum hoc ceſſans, & tanto, de quo hucuſque diſſeruimus, bono privari; ſed planè exiguum dici poteſt, ſi cum altero, longè adhuc majore, nempe damno poſitivo, quod exinde quoque reſultat, conferatur. Apoſtolorum

Prin-

Princeps S. Petrus, cùm ſuper pelagi fluctus incedens, mergi inciperet, totam culpam in ventos referebat: *Videns ventum validum timuit.* Matth. 14. at Chriſtus Dominus fluctuantem ejus fidem incuſavit: *Modicæ fidei, quare dubitâſti?* Simili prorſus ratione ex Chriſtianis plerique unicam profligatæ ſuæ vitæ cauſam aut tentationis vehementiam, aut fragilitatem obtendunt; reipſa autem, ſi ſtatûs tam lamentabilis originem inveſtigare penitiùs voluerimus, languentem, & pene emortuam eorum fidem eſſe tot peccatorum, in quæ quotidie prolabuntur, cauſam, deprehendemus, ſine qua nunquam eos in tam miſerabilem pertrahere peccati ſervitutem veterator ſtygius ulla ratione valeret. Falco aperto in aëre enutritus, ad agendas tam nobiles prædas à natura efformatus, tanta præditus fortitudine, tam generoſa indole inſtructus, nunquid ſe alligari perticæ pateretur? nunquid ſuos intra laqueos, abſque eo, quòd unquam diſrumpere tentaret, tantâ patientiâ perſiſteret, niſi priùs utrumque ſibi obligari oculum ſuſtinuiſſet? Quomodo fieri poſſet, ut Chriſtianus, cui in comperto eſt, quodlibet peccatum injuriam eſſe, Supremæ Numinis Majeſtati illatam, adeóque omnium malorum longè maximum; ut Chriſtianus, qui fatetur, & indubia fide pro certiſſimo tenet, Verbum Incarnatum crucis mortem

ſubiiſſe, ut moriendo peccatum è mundo eliminaret, quod idem eſt ac dicere; Unigenitum DEI Filium, ut abominandum illud monſtrum, peccatum ſcilicet, deſtrueret, quaſi Semetipſum deſtruxiſſe, quando nimirum unionem, quæ pretioſiſſimam illius animam inter & corpus Sacratiſſimum interceſſerat, incredibili tormentorum atrocitate in cruce violenter diſrumpi permiſit, atque per tres integros dies ceſſavit à nobiliſſimis operationibus illius vitæ, humanæ ſimul, a divinæ, cujus vel momentum unicum omnium reliquarum creaturarum vitam valore ſuperabat; quomodo, inquam, poſſibile foret, ut Chriſtianus, qui vi ſuæ fidei obſtringitur, potiùs mille vitas profundere, quàm vel minimam de hiſce veritatibus dubitationem admittere, tam præpoſteram ſibi peccati ideam in praxi formaret? multi etenim illud ùt levitatem juvenilem, alij ùt fragilitatem quandam, quæ facilè veniam mereatur, alij denique ùt rem nullius penitus momenti, peccatum ſibi imaginantur. Et non modò pro nihilo habent, lethiferum ipſi ſcelus perpetrare, aut in illo patrando etiam alios adjuvare, ſed ſæpenumero inde ludendi & jocandi ſumunt occaſionem; Imò eò uſque deveniunt, ut peccâſſe etiam gloriæ ſibi ducant; quaſi eos criminum etiam magis pudendorum maculæ pretioſiores efficerent, quemadmodum marmorum

ma-

maculæ eorundem elegantiam juxtà ac pretium ùt plurimùm adaugent. Illi autem, qui eò perverſitatis non progrediuntur, nihilominus tam parùm quoque peccati malitiâ percelluntur, ut contractam hanc peſtem per menſes complures ſine ulla ſolicitudine in anima circumferant; culpam intereà culpâ accumulantes, donec appropinquante aliqua ſolennitate ſacra, illud tandem deponere exhomologeſi decernant. Et ſic illi ipſi, qui induci nullatenus poſſent, ut cum lacertula eodem in lecto vel nocte unica dormirent, per longam non rarò vitæ ſuæ partem peccati virus circumferre animo non formidant, nihilque timoris inde perſentiſcunt. Et iſti ſunt filij lucis, ut omnes fideles Apoſtolus appellat! Iſti ſunt diſcipuli Verbi Incarnati! Iſti ſunt filij Sanctorum, hæredes tot millionum Sanctorum Martyrum, qui nos præceſſerunt, & vitam cum ſanguine inter tormenta varia & atrociſſima profuderunt, ne peccatum etiam in ſpeciem excuſabile, quale fuiſſet, ore ſolummodo negare fidem, retinere autem corde, unquam admitterent? Ita omnino eſt; omnium iſtorum cauſa eſt debilitas noſtræ fidei; quæ appropinquare nos facit infauſtis illis temporibus, de quibus Amabiliſſimus Redemptor edixit, ſe quaſi dubitare, an veniens in terram fidem tot cruciatibus plantatam, & Divino ſuo ſanguine rigatam, etiamnum

num esset reperturus: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Luc 18. v. 8. Verùm intereà quàm exoptata dæmoni in hoc turbido piscandi occasio aperitur? Christianus hac ratione quasi in infidelem transmutatur. Hæc tam imperfecta & superficialis rerum divinarum cognitio eum non magis ad operandum impellit, quàm si omnino nihil cognosceret: & quemadmodum S. Augustinus advertit, tametsi clarissima lux fideles circumstet, nisi oculos aperire velint, ut videant, parùm à paganis differunt, qui in tenebris commorantur. *Quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit?* Prov. 17. v. 16. Quid prodest ipsis habere thesaurum adeò pretiosum, qualis est fides Christiana, si postmodum abscondunt eum, aut in terram defodiunt, nec illius ope æternam sibi vitam comparare studeant?

REMEDIUM

Ad tollendum hoc impedimentum.

NUllúmne autem malo tam desperato inveniri remedium possit? potest enimverò; dummodo ille, qui in statum tam miserabilem delapsum se esse dignoverit, seriò illud adhibere voluerit. Primò igitur & ante omnia continuis precibûs divinam exorare Clementiam necessum erit, ut grande hoc fidei

dei donum nobis de cœlo largiatur: *Adauge nobis fidem:* rogare insuper Spiritum S. ut præter donum fidei, nobis in S. Baptismatis lavacro communicatum, donum quoque intellectûs infundat, quod nos divina mysteria intelligere, & penetrare cum claritate edoceat. Videte, quomodo hac in re Vir fecundùm cor DEI Rex David se gesserit; Hic quanquam tanta divinitus luce illustratus, nihilominus novum in omnibus ferè suis Psalmis à DEO lumen poscebat. Similes vos esse credite cœco illi, quem Christus Dominus prope civitatem Jericho sanavit; hic, quantumvis, utpote mendicus, rebus multis indigeret, nihil tamen à Redemptore nisi visum petebat: *Quid tibi vis faciam? Domine, ut videam.* Luc. 18. Hoc solum sufficiet, & erit locô omnium, si imposterum cœcus ampliùs non fuero. Equidem non dico, ut solam hanc gratiam Benignissimum Numen flagitetis, hoc tantummodo dico, ut hanc præ omnibus flagitetis, ut superno lumine intellectum vestrum copiosè illustret, quò clariùs veritates per fidem revelatas penetretis; hæc enim gratia omnes reliquas sine dubio secum trahet. Si hujusmodi preces vestræ humili ex corde procedant, quo vos indignos fateamini, quos DEUS exaudiat; si insuper precibus vestris constantiam junxeritis, pro indubitato habete, operæ vos pretium relatu-

ros

ros ab illo Domino, qui hunc in finem de cœlo descendit, ut vos è tenebris liberaret: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* Coll. 1. 13.

Cæterùm jam diximus, debilitatem fidei partim ab intellectu parùm divinas veritates cognoscente; partim à voluntate non eo, quo deberet, affectu easdem prosequente provenire. Atque ideò, ut huic malo medelam afferamus, curandum est summopere, ut cor nostrum cœlesti robore firmetur, & mentis nostræ tenebræ dispellantur. Quapropter utilissimum utique foret, si Christiani omnes ad rerum illarum, quæ ad salvandam animam pertinent, considerationem diligenter incumberent: sicut enim sol salutari suo influxu ad conservandam corporis sanitatem plurimùm confert, ita pia rerum illarum meditatio omnia bona in animam importaret; inconcussa enim sua Divino oraculo stat veritas, quo dicitur: *Cogitatum habe in præceptis DEI, & in mandatis ejus maximè assiduus esto; & ipse dabit tibi cor.* Eccl. 6. Verùm quia non omnes ad hoc sunt habiles, ut sibi solis relicti, absque alio adminiculo valeant meditari, medium magis universale erit legere cum attentione & reflexione pios ejusmodi libros, qui Sanctissimæ nostræ fidei mysteria explanant. Dixi; legere cum attentione & reflexione: nam qui granum sinapis integrum deglutiverit, tam

pa-

parùm ex eo acrimoniæ, quàm ex granulo arenæ sentiet; at verò si dentibus lentè masticando contriverit, tantam ex illo prodire virtutem advertet, quæ copiosas etiam ex oculis protrudere lacrymas queat. Profectò res est, quæ jure meritissimo quemvis summo horrore perstringat, si consideret, quàm exiguam Christiani de JESU Christo habeant notitiam; quàm parùm sciant, quàm rudem habeant ideam de immensa illius Majestate & Potentia, de præclaris illis prærogativis, propter quas, ut non modò ei à toto genere humano serviatur, verùm etiam, ut ab omnium cordibus intensissimè diligatur, innumeris utique ex titulis prometeretur; ipse namque omnis nostræ felicitatis causa est, atque origo, utpote qui nos & infinitis malis liberavit, & infinita insuper nobis bona contulit; & hæc quidem non solùm præpotenti suo Patrocinio atque Authoritate; sed acerbissimis suis cruciatibus, imò ipsa etiam morte, quam amore nostri sustinuit, longè acerbissima. Jam verò de divino hoc objecto Christiani communiter quid sciunt? & tamen hoc unicum illorum deberet esse studium, juxta illud, quod dicebat Apostolus: *Non judicavi me aliquid scire, nisi JESUM Christum, & hunc Crucifixum.* 1 Cor. 2. Tantum de Christo sciunt, quantum sufficit, ut Sacro-Sancto ipsius nomine ad perjuria & blasphemias abu-

tan-

tantur. Sed quid hoc mirum, ſi à nemine unquam his de rebus inſtruantur? Solennio-res feſtivitates, quas referendis divinæ Bonitati gratiis, & divinis myſteriis addiſcendis deberent impendere, illi propemodum univerſas ad litandum liberiùs genio, ad captanda mundana ſolatia, ad explendam gulam, & majorem veſtimentorum luxum, atque utinam non etiam ad impudentiorem Supremæ Majeſtatis, quam tum maximè colere deberent, offenſionem impendunt. Unde autem, amabo, ſi omnes undique clauſæ ſint feneſtræ, ſupernæ lucis radius ſubintret? Quapropter conſilio meo acquieſcite, ſacríſque in libris auxilium quærite, & intra brevem temporis lapſum vix non palpabilem in animo veſtro mutationem advertetis. De illis autem vobis libris proſpicite, qui præcipuè ad hunc finem conducunt; cujusmodi ſorent ad intelligenda Redemptionis noſtræ myſteria, Opera P. Ludovici Granatenſis, & ſpecialiter hujus *Introductio ad Symbolum fidei*: Opera P. Joannis Nierembergij, præſertim ipſius *Catechiſmus*, & *Divini Amoris Prodigia*. Ad dignoſcendas autem veritates, juxta quas vitæ veſtræ rationem ordinetis, Opera P. Pauli Segneri, præcipuè illius *Homo Chriſtianus*, & ſimiles. Conſultum inſuper erit, antequam libri cujusquam electionem faciatis, ut ne erretis, in re tanti momenti Confeſſarij con-

consilium exquirere. Certissimum omnino est, multos nos hodie Sanctos super altaria venerari, qui insignem suam, quâ modò splendescunt, sanctitatem à lectione, pij cujusdam libri auspicati sunt; quales sunt S. Augustinus, S. Ignatius Loiola, S. Joan. Columbinus, & alij plures. Verùm sine comparatione plures æternis modò inferorum suppliciis excruciantur, qui, si suum quoque piorum librorum lectioni tempus tribuissent, haud dubiè à via sua mala conversi ad Dominum, perpetuis modò Beatorum gaudiis cœlesti in Paradiso perfruerentur. Divina Bonitas partim minîs, partim beneficiîs nos ad se pertrahere conatur; & postquam naturam humanam assumpsit, duobus his mediis tertium, illúdque efficacissimum, sanctissima nimirum sua exempla adjunxit. Verùm hoc totum quid prodest, si vos ad illa ne quidem unquam animum advertatis, aut illa nunquam aspectu dignemini? Quid utilitatis affert navigantibus mappa, si eandem semper Nauclerus complicatam retinet, & nunquam explicat? Lingula magnetica quid juvat, si perpetuò clausa teneatur? at verò, dicetis mihi forsan, de istis cogitandi, aut eadem legendi vos tempus deficere: hoc si ita se habet, poterit meliori jure vobis illud responderi, quod à Diogene responsum est illi, qui interroganti, cur Philosophiæ non studeret? de-

fectum temporis obtendebat, nempe: *Quid igitur vivis?* ùt quid igitur, non dicam in terra, ſed in feliciſſimo S. Matris Eccleſiæ gremio hæſitatis, ſi ne tantum quidem lucrari vos poſſe otij arbitramini, ut neceſſaria ſalutis remedia condiſcatis? abunde vobis utique tempus ſufficit, ut perluſtrandis ludicris comœdiis, inanibus novis, libellis non niſi figmenta, & vanas ineptias venditantibus, atque utinam non etiam ùt plurimùm periculoſis, & latente animarum peſte infectis non rarò integras dies noctésque tribuatis; & tantum obtinere otij non valeatis, ut legendo pio libello, qui viam ad cœleſtem Paradiſum vobis commonſtret, veſtrámque vobis, qua DEO obſtringimini, obligationem in memoriam revocet, unam alterámve ſubinde horulæ partem concedatis? conquerimini poſtmodum, & crebris ſuſpiriis ingemiſcitis, quòd aſſurgentes continuò in cordibus veſtris pravæ cogitationes vos impugnent; ſed cur non bonas menti cogitationes inſeritis, quæ malis locum & palmam in corde præripiant? herbæ pernicioſæ, lolia, & Zizania ſponte naſcuntur: at verò herbæ ſalubres & pretioſæ non niſi poſt longam culturam, & conſtantem agricolæ induſtriam ſuccreſcunt. Illud autem in dies ſingulos legendum ſuſcipietis, quod conſcientiæ veſtræ Arbitro opportunum eſſe videbitur; ubi præprimis caveatis, oportet,

tet, ut ne oculis nimiùm properantibus assignatam materiam percurrendo, potiùs curiositatem vestram, quàm pascere animam quæratis: nunquam enim cibus, si festinatò & integer devoretur, nutritionem promovet; sed tunc solummodo suum corpori augmentum adjicit, ubi lentè masticatus in stomachum demittitur. Denique, antequam lectioni initium dabitis, & simul postquam eidem finem imponetis, submississimis precibus DEUM compellate, ut veritatem hanc, quam hîc ante oculos vestros ponere dignatus est, altissimè quoque vestris cordibus velit inscribere.

Alter defectus, scilicet exiguus erga mysteria à Deo nobis revelata voluntatis affectus, ex quo, uti jam diximus, debilitas fidei quoque enascitur, per hoc tollitur, si voluntati illa motiva, quæ ad credendum nos impellant, proponantur; motiva, inquam, tam potentia, & usque adeò clara, ut nimiùm credibilia Propheta Regius appellârit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal. 42.* Quasi diceret; testimonia tua Domine, longè magis manifesta sunt, quàm nos ipsi prudenter exposcere potuissemus, ut libenter sanctæ fidei nostrum intellectum subjiceremus; quippe, etsi arcana illa, quæ credimus, sint obscura; nihilominus tamen evidentes sunt rationes, quæ nobis persuadent, ut esse divina credamus.

Verùm quia abire per ſingulas, res foret, quæ intra tam anguſtos, quales hîc nobis præſcripſimus, conſtringi terminos non poſſet, unam ſolummodo, quæ tamen ſit locô omnium, in præſentiarum exponam; in tali namque facto conſiſtit, quod nemo quiſpiam revocare in dubium poſſit, niſi emotæ omnino mentis extiterit.

Ex omnibus hiſtoriis indubitatum eſt, quòd, antequam Evangelicæ veritatis oriri lux inciperet, totus mundus idolis divinos honores detulerit; illam partem, quam populus Hebræus incolebat, ſi excipiamus, tota terra ſceleratis victimis, templis ſacrilegis, & adulterinis diis referta erat. In omnibus creaturis, incipiendo ab iis, quas Omnipotens Conditor longiùs à terris remotas in cœlo collocavit, nimirum ſole, luna, ſtellis &c. usque ad viliſſima animalia, utì ſerpentes, crocodillos &c. à variis nationibus, non ſolùm barbaris, ſed etiam cultioribus Divinitas adorabatur; & quod longè adhuc erat deterius, ipſis etiam hominum ſceleribus ſubeſſe Divinitatem credebant, ipſa patrata à mortalibus flagitia divina myſteria reputabant. Hæc qui vel à longè trahere in dubium tentaret, luculenter ſanè, ſe nunquam antiquorum Hiſtoricorum monumenta, illósque libros, qui infeliciſſima illa tempora deſcribunt, inſpexiſſe monſtraret. Unde ſi Fides vivendi juxtà & operandi ſit re-

gu-

gula, si insuper fides tunc temporis eò usque fuerit impia, ut magis scelesta reperiri in terris non posset, pronum erit conjicere, vitam quoque fuisse usque adeò flagitiosam, eò usque mortalium malitiam ascendisse, ut magis abominanda inveniri inter homines non valeret. Ecce autem! cùm in tam miserando statu positus esset mundus pene universus, Christus Dominus subvertere, atque eliminare idololatriam, & ex illius ruderibus excitare Religionem Christianam incipiebat. Atque ut evidens, & luce clarius evadat, illum esse istorum omnium Authorem, hæc tria considerare capita sufficiet: primò, magnitudinem operis; 2. impedimenta, quæ eidem obstabant; 3. instrumenta, quibus id effecit.

Magnitudo operis ex debellatæ idololatriæ, quæ ultra duo annorum millia in mundo regnabat, antiquitate clarissimè eluceſcit: apparet insuper ex ejusdem amplitudine, utpote in quam populi jam universi, & omnes omnium ferè hominum ordines conspirabant; ita quidem, ut pauci illi, nempe Philosophi, qui illius falsitatem agnoscebant, æquum esse dicerent, ut omnes sese quoad externam vivendi rationem, in acceptata superstitione populo conformarent. Jam verò quis non videt, quantæ difficultatis opus extiterit, venenatam hanc plantam extirpare, quæ suas radices, altissimè infixas, per totum terra-

rum orbem diffuderat; quæ pravis paſſionibus fomenta, omnibus flagitiis pabulum ſubminiſtrabat; quam potentiſſimi Principes igne & ferro, litterati & Doctores calamô propugnabant, & in cujus quaſi gremio univerſum genus humanum pacatiſſimè quieſcebat. Hæc difficultas ex eo quoque crevit quàm maximè, quòd ſimul atque hanc plantam extirpare aggrederetur, eodem in loco Chriſtianam plantare Religionem inciperet, quod idem eſt dicere, ac plantare Religionem, quæ res difficillimas, & ab humanis ſenſibus remotiſſimas credendas proponit intellectui, & rerum difficillimarum amorem imperat voluntati: quæ docet, hominem, in quem tam forum Eccleſiaſticum, quàm profanum mortis in infami crucis patibulo duos inter latrones ſubeundæ tulit ſententiam, eſſe verum DEUM, natum ex Virgine; propriis viribûs ſurrexiſſe à mortuis; quadam die ſibi ſoli nota denuo venturum in magna majeſtate, ſtrictiſſimámque ab omnibus hominibus rationem exacturum, ubi omnibus momento è morte reſuſcitatis, eadem, quæ in vita habebant, corpora reſtituet, quamvis igne, ferarum dentibus, aut temporis diuturnitate dudum conſumpta fuerint. Hæc & ſimilia myſteria, quæ non modò illiteratæ plebis, ſed doctiſſimorum etiam quorumvis hominum capacitatem tam altè tranſcendunt, credenda proponuntur:

tur: myſteriorum ſublimitati, præceptorum, quæ obſervanda præſcribuntur, arduitas correſpondet: nempe, continuò ſemetipſum odiò perſequi ùt inimicum; illatas ſibi injurias benevolo amoris affectu compenſare; pro perſequentibus ſe ſupplices ad Cœlum voces & manus extollere; maxillam dexteram percutienti, immoto, pacatóque animo etiam ſiniſtram porrigere; potiùs mille mortes perpeti, quàm vel ſemel plena voluntate in pravam cogitationem conſentire; intimas, occultiſſimásque conſcientiæ ſuæ latebras, noxas ſingulas, eas etiam, quas in lucem protrahere innata verecundia ſummopere perhorreſcit, Sacerdoti aperire; & denique fidem habere tam conſtantem ac firmam, ut paratus ſis, potiùs relinquere uxorem, deſerere filios, & Amicos, privari omnibus fortunis, imò inter ſuccenſos rogos, inter ferarum dentes, inter flagella & equuleos, inter omnis generis crudeliſſima tormenta ipſam quoque vitam ponere, quàm tantummodò unicam fidei veritatem vel ore etiam, nedum corde abnegare. Hæc ejusmodi tam ſublimis doctrina, quæ quidem nobis quotidiano uſu, & longa conſuetudine amœna & facilis efficitur, quàm difficilis ab initio, & aſpera apparuerit non ſolùm populo inculto, & ignoranti, ſed multò magis Doctoribus omni litteraturâ præfulgentibus, facundiſſimis Ora-

toribus, acutiſſimis Philoſophis, prudentiſſimis Senatoribus, naſutiſſimis Politicis, & genti tam perditè deliciis & voluptatibus deditæ, tam proclivi ad obſequendum indomitis ſuis paſſionibus, tam aſſuetæ nihil aliud, quàm quod externi ſenſus manifeſtant, credere, nullóque altiore quàm vanæ gloriæ motivo operari?

Sed forſan unanimis omnium magnorum Principum conſenſus in eo conſpiravit, ut Evangelij doctrinam tanquam veram reciperent? Verùm enim verò hoc ipſum eſt illud, quod hoc opus viribus humanis eſſe majus, adeóque divinum ſecundô locô apertiſſimè commonſtrat; quia nempe licèt orbis univerſus communi rabie contra Sanctam Evangelicæ veritatis lucem inſurgens, in primo eandem exortu extinguere moliretur, omnes tamen illius quanti demum cunque conatus in vanum recidêre. Per trecentorum fermè annorum ſpatium omnes vix non Romanorum Imperatores omni in loco novam hanc Legem perſequebantur modis usque adeò indignis, támque immani crudelitate, ut potiùs infernalis, quàm humana videretur: ſtrage inſuper tanta, ut Propheta Regius numerum Martyrum ſuper numerum arenarum multiplicatum aſſeveret: *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Pſ. 138. hoc ſolum dixiſſe ſufficiat, quòd Diocletiano rerum potiente,

Chri-

Christianos pro libitu occidendi, suis eosdem bonis spoliandi, eósque quasi perversissimos humani generis hostes, & omnium, privatarum non minus, quam publicarum, calamitatum authores tractandi, libera cuivis facultas concederetur. Ad crudelitatis immanitatem fraudes, & calumniæ addebantur, quibus Christianos ùt sacrilegos, ùt cœli inimicos denigrabant. Fraudibus splendida promissa jungebanrur: hominibus adultis, & maturis quæstuosa officia & dignitates; junioribus delicias & voluptates; Virginibus magnificas nuptias, & Augustos thalamos; prætextatis etiamnum puerulis blanditias & illecebras offerebant, & tamen his omnibus nihil morantibus Sancta vestra Religio nunquam feliciori successu propagabatur, quàm cùm crudelissimis fraudum machinis, atrocissimis persecutionum procellis quateretur; atque adeò vitas metere Christianorum, nihil erat aliud, quàm eorundem sanguine ulteriùs semper Sanctissimam Christi fidem disseminare. Ita longè omnium Persecutorum crudelissimus, & Sanguisuga omnium maximè insatiabilis Diocletianus cum incredili sua confusione Sacrosanctam Christi crucem ab omnibus nationibus adoratam videre debuit; & quod omnium maximè ipsius rabiem irritabat, adorari eandem videre debuit à magna aulæ propriæ parte, à Serena Conjuge, à Susanna Nepte, à Claudio & Maximino Patruis,

truis, à Cajo & Sabino Nepotibus, à Sebastiano suæ Custodiæ, & Castulo Aulæ Præfecto, à Gorgonio & Dorotheó suis Cubicularis; atque ab his Palatij sui partem non exiguam commutari in Ecclesiam conspiciebat, in qua Religionis illius devotissimè vacarent exercitiis, quam infelix isthic Imperator internecina humani generis strage cogitabat extinguere.

An clariora adhuc argumenta requiritis, ex quibus Christianam fidem opus esse DEI Omnipotentis dignoscatis, cùm illa etiam, quæ ad eam subvertendam, eliminandámque penitus adhibebantur, tantum ad eandem dilatandam adjumenti conferant? Id tamen adhuc supereſt, ut nimirum instrumentorum quoque, quibus opus tam admirabile perfecit, conditionem consideremus. Duodecim Piscatores, & pauci alij illis similes pauperculi, ignorantes, timidi, ex natione ubivis gentium odiosissima oriundi, utentes lingua, quæ nullibi nisi in Judæa intelligebatur, totum inter se terrarum orbem dividunt, & intra paucorum annorum decursum eundem totum Christo subjiciunt. Si Evangelicæ Legis Prædicatores omnigenæ scientiæ apparatu exculti, si Romana simul & græca instructi fuissent eloquentia; si quingenta armatorum millia, ùt magnus olim Alexander, in aciem eduxissent, si populos amplis promissionibus

ad

ad se invitâssent, ùt quondam Rex Cyrus, qui teste Plutarcho suis sequacibus, si possedissent villam, integrum pagum, si pagum, integram civitatem, si civitatem, integram illis provinciam promittebat; tamen adhuc ingens prodigium extitisset, inventas esse tot gentes omnis conditionis & sexûs, omnis ætatis & professionis, quæ talibus pollicitationibus allectæ, mutata, in qua educatæ fuissent, majorum suorum religione, novam vitâ etiam & sanguine propugnarent. Hæc autem, si ita se habeant, agedum, quantum jam erit prodigium, si hæc omnia obtinuêre homines omnibus humanis talentis penitus destituti, & qui præter crucem & dolores externis sensibus nihil promittebant, Tota illa, quanta quanta demum fuerit Socratis & Platonis Sapientia evincere tantum non potuit, ut vel hominem unicum ab adoratione dæmonis abstraheret. Josephus cum omni sua, qua tantùm pollebat, sapientia, cum plena sua, qua Ægypto præerat potestate ne quidem valuit efficere, ut vel unica in regno illo familia ab idololatria ad veri Numinis cultum transiret. Moyses mirabilis ille Israëlitarum Dux tam stupendis adjutus prodigiis, quem nôrant tam constanti cum DEO uti familiaritate, continere in vera fide commissum sibi populum ita non potuit, ut vitulo ex auro conflato genua non curvarent, eundémque tan-

tanquam DEUM non adorarent: & duodecim Piſcatores eliminare ex omni terrarum orbe idololatriam, atque hujus ruinis imponere potuerunt religionem, hominum ſenſibus & paſſionibus adeò contrariam, eorundem intellectûs capacitatem tam altè excedentem, eorum vivendi conſuetudini uſque adeò repugnantem; & hoc quidem potuerint, quin DEUS manum ſuam ac potentiam eorum adjungat conatibus? En vobis, qui ad credendum miracula expoſcitis, miraculum omnibus miraculis majus & præſtantius: Mundum idololatram ad verum ſupremi Numinis cultum converſum; & converſum quidem repugnantibus Politicis, reclamantibus Philoſophis, frementibus Principibus, ad arma conclamante toto inferno, & igne ferróque in novam religionem debacchante, ut ſua eandem in origine ſuffocaret, quæ tamen his omnibus nihil obſtantibus intra paucorum luſtrorum decurſum per omnes totius terræ provincias inſtrumentis ad tanti moliminis opus prorſus ineptis propagata eſt, ut eò nempe manifeſtiùs appareret, illius architectum eſſe DEUM, qui ſuis in operibus nullius indigeat adjumento.

Illud quoque jam ulteriùs ponderandum venit, novam identidem huic veritati in dies ſingulos lucem à conſtantia accedere, quâ eadem ipſa fides, ab Apoſtolis, & meditanti-

bus

bus istis ab ipso Christo plantata, per sedecim jam sæcula perdurat. Credit illos ipsos articulos, profitetur eadem mysteria, illud ipsum Ecclesiæ Caput, & supremum Christi in terris Vicarium summum Pontificem agnoscit, illum ipsum divinarum gratiarum influxum recipit, eadem ipsa dispensat Sacramenta, illos ipsos Sanctos progenerat, & eâdem prorsus, quâ olim methodo, inter populos idololatras se propagat. Ettametsi omni ex latere, & sæculis omnibûs novæ identidem sectæ, quæ junctis eam viribus oppugnârunt, ex orco prodierint, quid denique lucri reportârunt? consumpto robore semetipsas destruxerunt & etiamnum destruunt, aquarum in morem, quæ frustraneo impetu in scopulos illiduntur, dum intereà firma & sui secura Catholica subsistit Religio, adeò ut omnis inferorum potestas nunquam prævalitura sit adversus eam.

Quapropter maturo *judicio*, & æqua bilance hæc omnia rationum momenta ponderate, & intellectûs vestri convincere pertinaciam, & voluntatis inclinare duritiem gaudete, ut tandem esse veriſſima confiteatur, quæ æterna nobis Veritas revelavit. Prompto animo vos illis subjicite, quæ docet illa religio, quæ tam illustres veritatis radios aperta in fronte exhibet, ut si per impossibile falsa foret, DEUS ipse nostræ deceptionis Author exi-

exiſteret, nec juſto à nobis judicio exigere pœnas valeret, utpote qui eam ùt veriſſimam credendo ſumma cum prudentia operati fuiſſemus.

Ultimò denique illud quoque curandum ſummopere, ut fides ſic illuſtrata & roborata in opera noſtra influat: Id, quod ſolertiſſimè facere homines Sancti aſſolent, qui dicuntur ex fide vivere; nunquam enim animo quidquam ſtatuunt, quod non ex fidei dogmatis deducant. Quid juvat gladium optimum ex latere ſuſpenſum ſecum circumferre, ſi ſemper in vagina reconditus deliteſcat? oportet fidem habere in actu, non tantummodo in habitu, ùt loqui ſolemus. S. Serapion monachus, cùm ſæpiùs, ubi tunicam ſuam pauperi dono dediſſet, ſeminudus in publico appareret, & ab obviis, à quonam veſtibus ſpoliatus eſſet, interrogaretur, Sacrum Evangelij Codicem, quem ſemper ſub axilla circumferebat, protraxit; & hic, inquiebat, eſt latro ille, qui me, ùti videtis, veſtimento ſpoliavit. O! quàm feliciter etiam vos, ſi non veſtibus, certè mille rebus ſuperfluis Sacrum hoc Evangelium exſpoliaret, ſi familiari illius uſu veſtram animare, atque ſuccendere fidem ſtuderetis: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Hebr. 11. v. 33. Verùm enim verò, ſi ſumma eſt infamia ùt divinam non credere religionem, innumerabilium

Mar-

Martyrum sanguine, altissimis innumerabilium Sanctorum virtutibus, innumerabilibus Doctorum calamis, innumerabilium prodigiorum, imò ipsorum etiam dæmonum confessione confirmatam; quanta erit dementia, credere, esse divinam, & tamen ita vivere, ac si foret merissima fabula?

LECTIO II.

DE IMPEDIMENTO,

Quod affert Saluti nimia fiducia, quam multi in Confessione reponunt.

UNdenam, amabò, provenire credamus, quòd homo, quem suis in negotiis semper proniorem ad metum & solicitudinem, quàm spem atque fiduciam cernimus, in iis, quæ salutem animæ concernunt, tantò magis in spem, quàm timorem inclinet? certè non aliam istud ob rationem contingit, nisi quòd exiguum suæ salutis amorem in corde foveat; atque adeò non timet, quia non diligit. Ubique Christianam inter gentem reperire est homines, qui iniquitatem sicut aquam hauriunt, eò quòd continuò dicant: *Confitebor:* Et ubi postmodum hausta liberaliter iniquitate se totos inebriârunt, nulla exinde solicitudine eam ob rationem anguntur, quia dicunt: *Confessus sum.* O! *præsumptio nequissima unde crea-*

ta

ta es cooperire aridam malitia. Eccl. 34. v. 3. O! Sceleſtiſſima præſumptio, quæ criminibus mundum univerſum imples, quo tandem ex fundo prognata es infauſta ſoboles! certè non ex alio, quàm inferno. Nunquid igitur æquiſſimum omnino eſt, ut rurſus ad æternas, ex quibus prodierat, tenebras repellatur, ne novis identidem Chriſtianos involvere fraudibus perſeveret? in id unum proinde ſequente in lectione collimabimus, ut bonum tam eximium obtineamus.

Profectò nemo uſpiam mercatorem uſque adeò inſanæ mentis invenerit, qui merces ſuas nulla urgente neceſſitate in tumultuantis pelagi fluctus projiceret, hac ſola ſpe ſubnixus, quòd denuo poſſet ex profundo maris ſinu expiſcari. Et tanta nihilominus Chriſtianorum multitudo reperitur, quæ ſuam innocentiam, gratiámque divinam, hoc eſt, donum illud inæſtimabile, quo pretioſius vel ipſa etiam immenſa æterni Numinis munificentia elargiri hîc nobis non poteſt, ultro abjiciunt, huic ſolummodo ſpei veſanè inniten-tes, quòd cœleſtes has divitias per Sacram Confeſſionem facili rurſum negotio valeant recuperare: Sponte ſeſe duriſſimæ dæmonis ſervituti mancipant, eò quòd facile ſibi fore confidant, illius catenas pro libitu ſuo disrumpere, & denuo in libertatem eluctari Filiorum DEI: Læta facie hoſti infernali obviàm

viam procedunt, clavim animæ ſuæ manu præferentes; quia indubitatò ſibi perſuadent, eandem illum ſine mora redditurum, quandocunque demum ſibi denuo repoſcere libuerit. Et quidem ex una parte nihil res iſthæc in me movet admirationis, cùm novus non ſit error iſte inter Filios hominum; prima namque hæc fuerat in mundo tentatio, qua deceptor ſtygius Protoparenti noſtræ, ut poſitum ſibi à DEO præceptum transgrederetur, ſupremam hujus Bonitatem exaggerando perſuaſit: *Nequaquam moriemini.* Gen. 3. Facite, quidquid jam vobis collibitum fuerit, nihil exinde vobis eveniet mali; DEI Bonitas eſt infinita. Ipſemet etiam Adamus, quī juxta Apoſtolum non fuerat ſeductus ſicut mulier, nihilominus tamen ſocius eſſe ſuæ Conſortis in comedendo pomo vetito voluit, quia culpam, licèt in ſe graviſſimam, venialem eſſe exiſtimavit, juxta phraſin S Auguſtini l. 11. in Gen. id eſt talem, quam facilè ſibi Benigniſſimus Conditor condonaret: quod Divo etiam Thomæ placuit. *Adam peccavit cogitans de divina miſericordia.* 2. 2. Q. 163. a. 4. Adam Creatoris ſui mandato non obedivit, eò quòd crederet, haud quaquam illius miſericordiam tantis hoc peccatum ſuppliciis caſtigaturam, quanta DEUS minatus fuerat. Et quid multis? Etiam tum tentator ſtygius, cùm eò temeritatis procederet, ut cum Chriſto

ſto Domino in deſerto jejunante congredi auderet, potiſſimam ſuæ fiduciæ partem, qua victoriam ſperabat, in hoc armorum genere, quo toties jam felici adeò exitu pugnârat, repoſitam habuit. Unde ſuadebat amabiliſſimo Servatori, ex alto præcipitem ſe ageret, indubia hac ſpe fretus, advolaturos è veſtigio Angelicos Spiritus, qui divino ad id negotij imperio deſtinati ſuis eundem manibus ſuſtinerent: *Mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim; quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Matt 4. Non eſt proinde, cur multa nos admiratio teneat, ſi inter Chriſtianos tam frequens eſt iſta tentatio; quos continuò infernalis inimicus ſolicitat, ut in omnis generis ſe ſcelera præcipitent, primóque peccato centum alia adjungant, ſola inſana hac præſumptione erecti, Confeſſarios quaſi Angelos pacis ſacra ſua abſolutione impedituros, quò minùs hi lapſus cum irreparabili æternæ ſalutis damno conjungantur. Hoc eſt, quod admiremur, nimirum, quòd Chriſtiani fraudem tam apertam non agnoſcant, paritérque ita ſint ingrati, ut inſtar venenoſi napelli, quò magis cœleſti divinarum gratiarum rore aſperguntur, eò majus ſemper ſuo veneno augmentum adjiciant, hácque ratione efficiant, ut pretioſiſſimus Chriſti Domini ſanguis, qui veluti balneum eſſe deberet, quo omnia pec-

ca-

cata ſuffocentur, illis potiùs, ut ita dicam, ad eadem riganda, atque augenda deſerviat. Nunquid autem hoc eſt ſalutis noſtræ remedium in diaboli triumphum commutare? Quemadmodum S. Ambr. *l. 2. de pœnit.* deplorat his verbis: *Remedium noſtrum ſit ipſi diabolo triumphus.* Verùm videamus jam damnum, quo ſemetipſos hac præſumptione afficiunt.

DAMNA,

Quæ ex hac præſumptione enaſcuntur.

VErùm quis jam tantum ſibi ineſſe virium atque facundiæ confidat, ut inexplicabile illud damnum, quod animæ ſaluti affert iſthæc præſumptio, pro rei dignitate deſcribat? crediderim ego, majorem reproborum Chriſtianorum partem debere huic præſumptioni æternam ſuam damnationem, quæ pedetentim, & veluti per paſſus illos ad horrendum infernalis abyſſi præcipitium promovit; periêre enim, quia licèt peccantibus præparatum eſſe ignem ſempiternum credidêre, tamen ita liberè in ſcelera proruebant, ac ſi hunc ipſum ignem merum figmentum reputarent: quippe facillimum ſibi fingebant eſſe in promptu remedium, ſcilicet commiſſa flagitia in confeſſione Sacerdoti recenſere, & cum injuncta ab illo leviſſima pœnitentia diſcedere, qua peracta jam omne ſe ſolviſſe debitum pu-

tabant. Et primus quidem ad exitium passus est *multitudo peccatorum*. Juvenis ille cum dolore utcunque sufficiente peccata confitetur, atque etiam diebus aliquot tentationibus fortiter resistit. Sed ubi vel semel relapsus est, mox plena passionibus frœna relaxat, & non jam lento pede per scelera ambulat, sed concitatis passibus viam inquitatis decurrit. Jam verò quis tot lapsuum inire numerum valeat? totidem sunt miserandi casus, quot sunt contumacis carnis incentiva; imò ausim dicere, quot ferè sunt cordis affectus, & animi cogitationes. Verùm tam amplæ multitudinis planiorem non nihil computum faciamus. Multi ex istis peccatoribus, qui tam facilem sibi confessionis beneficio veniam promittunt, quotidie, ut parùm *dicam*, saltem decem peccata gravia committunt, partim datis scandalis, & cogitationibus, partim iniquis sermonibus, vetitis oblectationibus, & operibus malis: Hoc posito, peccatorum ab uno solo patratorum numerus intra mensem ultra trecenta, & intra annum ultra tria millia ascendit; atque adeò unus istorum hominum intra unius anni decursum pluribus, quàm ter mille, vicibus inferni fores pulsat; & difficile credere vobis jam accidat, quin istas aperiri tandem aliquando Divina Justitia, eosdémque in abyssum illam præcipitari permittat? hoc ipsum profectò est, quod ipsamet illis

per

per Jeremiam Prophetam graviſſimis ſanè verbis comminatur: *Curationum utilitas non eſt tibi; plagâ inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Jer. 30. v. 12. Attento animo hæc verba ponderate. Non dicit Dominus: quia ſanati non eſtis: ſed quia nihil ex hac cura, imò ex multis ſimul curationibus nihil utilitatis recepiſtis: *Curationum utilitas non eſt tibi;* utpote qui non una tantummodo, ſed multis omnino vicibus ſaluberrimum pœnitentiæ lavacrum ingreſſi eſtis; & tamen hoc ſalutare lavacrum, quod peccatis venenum eſſe debuiſſet, propter malitiam veſtram nova fomenta illis ſuppeditavit; quia nempe in corde veſtro dixiſtis: *Si pecco, ſufficit confiteri; & ſi una vice peccavi, jam eſt peragenda confeſſio: Sæpius igitur peccare jam potero, atque omnia ſimul una confeſſione delere.* Quapropter *curationum utilitas non eſt tibi.* Emolumentum, quod veſtris ex confeſſionibus reportatis, eſt, ſine numero peccata peccatis accumulare absque eo, quòd unquam advertatis, hanc ipſam multitudinem in profundum inferni vos demergere, atque efficere, ut Divina illa Majeſtas absque ulla vobiſcum miſericordia procedat *caſtigatione crudeli*, & veluti inimicum perſequatur, qui tantò velit eſſe adverſus Dominum ſuum inſolentior, quantò ille erga ſe fue-

rit indulgentior *Plaga inimici percussi te propter multitudinem iniquitatis tuæ.*

Alter passus est horum ipsorum *enormitas* peccatorum, quæ ideo tam liberè committuntur, quòd spes confessionis animos addat. *Confitebor*, inquiunt hi scelerati: sed spe sua falluntur miseri; cùm DEUS tanta enormitate irritatus, altera mente repositâ eorundem scelera retineat, ut suo tempore justa ultione prosequatur. *Profundè peccaverunt*, inquit Oseas Propheta, hoc est, in profundum iniquitatis, & in turpissimum peccatorum cœnum se immerserunt. *Profundè peccaverunt:* ecce culpam! sed ecce quoque pœnam statim adjunctam! *Recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.* DEUS, videns, suos fideles qui esse deberent gens sancta, turpitudine scelerum ipsos etiam infideles exsuperare, séque in illarum, quas vel ipsa bruta animantia aversantur, voluptatum luto volutare, tantam impietatem oblivisci nequit, *recordabitur peccata eorum;* Sed promeritis tandem suppliciis ulciscitur: *& visitabit iniquitates eorum.*

Ultimus denique passus, per quem infelix isthæc præsumptio tot animas ad interitum perducit, est nimia *securitas* post peractum peccatum. *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Prov. 18. nisi quòd aliqui ex peccatoribus adhuc ulteriùs pro-

procedere videantur, cùm perpetrata crimina non solùm contemnant, sed in iis etiam plurimùm sibi complaceant, atque exultent, imò & peccâsse sibi gloriæ ducant: *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Isa. 53.

Verùm qua ratione eousque perversitatis queant devenire, quin Christianæ, quam quidem profiteri se dicunt, fidei renuntient? prodigij speciem præbet, quòd reperire sit vel unum, qui, etsi sciat, peccatum certissimam animæ mortem, & mortem quidem sempiternam in igne inextinguibili sustinendum afferre, tamen illud committere non perhorrescat. *Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Job. 6. v. 6. Et tamen innumeros reperire est, qui non guttatim tantùm sorbillant, sed pleno gutture venenatum calicem simul exhauriunt, quin unquam aut satietatem aut nauseam persentiscant; & hæc omnia tandem, quia dicunt: *Confitebimur.* Unde evenire illud deprehendimus, quòd S. Ambrosius pronuntiavit: *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi.* Hoc est damnum illud: quod saluti animæ infert peccandi temeritas, fundata in spe peragendæ confessionis, quandocunque libuerit: eo nempe Christianum perducit, ut, postquam vitam hanc inter enormia quævis scelera transegit, ad

aliam inter crudeliſſima quævis tormenta exigendam eum tandem deducat. Jam ad remedia tranſeamus.

REMEDIUM

Ad curandam tam fatuam temeritatem.

Bonus es tu, & in Bonitate doce me juſtificationes tuas. Pſal. 118. Hæc eſt oratio, quam ſæpiùs ex toto cordis affectu ad cælum cum Pſalte Regio evibrare debes, tanquam primum hujus, quam hucuſque deteſtati ſumus, præſumptionis remedium: O! Domine DEUS meus! tu Bonus es, imò ipſa Bonitas, *Bonus es tu*; fac igitur quæſo, ut me hæc ipſa tua Bonitas obſervare ſacratiſſima tua præcepta edoceat: *In Bonitate tua doce me juſtificationes tuas.* Hoc eſt, quod dulciſſimus Servator à te exigit, quando tanta erga te benignitate utitur, cùm tanta patientia te ad confeſſionem & Pœnitentiam exſpectat, quando peccatorum veniam tibi indulget; hoc quærit: ut ab ipſo bonus eſſe diſcas. Quid igitur eundem irritare non times, ſi tam protervè illius conſilia invertas; ut, quantò majorem ille erga te oſtendat amorem, tantò in ipſum magis eſſe velis injurius? *Nunquid redditur pro bono malum?* Jerem. 18. v. 20. Ex quo tempore hæc lex in cordibus hominum eſt promulgata, quòd beneficia, quò ma-

magis insignia sunt, eò sint monstrosioribus offensis compensanda? si non credis DEI Bonitatem, & peccati malitiam contrarietate infinita, essentiali, irreconciliabili sibi invicem opponi, DEUM esse DEUM non credis. Quodsi autem hoc credas, quid aliud est, velle ut Divina ipsius Bonitas motivum tibi sit edendi in lucem tam atrocem hujus ipsius Bonitatis inimicum, quàm armare quasi DEUM contra DEUM, atque efficere, ut DEI misericordia, cum ejusdem justitia quasi prælio contendat.

Secundum remedium erit, ipsam mali radicem aggredi. Totum malum duplici ex ignorantia nascitur; ex una enim parte ignorant, quidnam reipsa sit confessio; ecce! primam: ex altera parte non sciunt, quales illa in nobis effectus producat; ecce! secundam; Jam verò hanc utramque ignorantiam ex peccatorum cordibus tollere, erit eorum medicina.

Primò igitur, qui adeò temerè sub spe peragendæ confessionis in peccata præcipitant, quidnam sit propriè confiteri, communiter ignorant. Imaginari sibi videntur, confiteri non esse aliud, quàm commissa scelera fideliter in aures sacerdotis deponere, iisque accuratè expositis ex integro confectum esse negotium. Atque adeò tota illorum diligentia in eo desudat, ut exactè perpetrata crimina in

memoriam revocent, & tota eorundem ſolicitudo poſt peractam confeſſionem in eo vertitur, quòd timeant, ne cujusquam fortè fuerint ſceleris obliti. At verò, ſi ſola hæc diligentia ad inſtaurandam cum DEO pacem ſufficeret, Via Cœli contrà, quàm S. Evangelium teſtatur, non modò non anguſta, ſed ampliſſimâ quamvis plateâ ſpatioſior exiſteret. Et quæ tandem magna difficultas ſit, delicta noſtra confeſſario recenſere, poſtquam ad hoc faciendum à primis jam unguiculis fuimus aſſuefacti? Hac profectò ratione peccatorum ſceleratiſſimi, qui pudendis ſuis flagitiis gloriantur, eadémque tanquam liberales facetias, in comilitonum ſuorum circulis absque ullo pudore referunt, omnium optimè ad confitendum eſſent diſpoſiti; & confiteri, foret negotium, quod totum labiis conficeretur, eſſétque potius memoriæ, quàm, cordis exoneratio. Igitur confiteri propriè eſt, ad DEUM ſe convertere. Atque ideo, tametſi hæc peccatorum manifeſtatio ad hoc, ut ſacerdos ab iis te poſſit abſolvere, requiratur; hæc tamen ſola haud quaquam ſufficit; ſed inſuper neceſſarium eſt, contriti animi dolor accedat, tribûs hîſce conditionibûs veſtitus; primâ, ut ſit *Supernaturalis*, ſecundâ, ut ſit *ſummus*; tertia, ut ſit *efficax*. Ex tribus hiſce conditionibus, ſi vel unica pœnitentiæ tuæ deficiat, confeſſio tua ſimilis erit confeſſioni

Sau-

Saulis, Judæ, & Antiochi, qui quidem delicta ſua agnôrunt, eorundémque ſe coram DEO reos confeſſi ſunt; neutiquam tamen illorum veniam obtinuerunt; quia fuerunt pœnitentes linguâ ſolùm non corde. Et hinc, cùm tantùm noſtrâ interſit prædictas conditiones adimplere, quantum intereſt lapſuum noſtrorum à DEO veniam impetrare, illas in præſente lectione explicare, aut ſaltem ſingillatim in memoriam revocare oportebit. Dolor itaque ad confeſſionem requiſitus debet eſſe efficax, hoc eſt talis, ut vi illius paratus ſit pœnitens, potiùs carere bonîs creatîs omnibûs, & onerari omnibûs malîs, quàm ullo unquam tempore & occaſione divinam Majeſtatem ampliùs offendere: ſicut honeſta quædam matrona, cui firmiſſimè fixum, ratúmque eſt, nullo unquam tempore, nulla occaſione datam ſuo conjugi fidem violare. Deinde dolor hic debet eſſe ſummus; quippe tam ille dolor, quo ad deteſtandum peccatum ex amore DEI movemur, & contritio vocatur; quam alter, quo movemur ad abominandum peccata; quia ſunt malum animæ, eámque cœleſti paradyſo privatam æternis ſuppliciis obnoxiam efficiunt, atque atque attritio appellatur; uterque, inquam, dolor lethiferum crimen appretiativè ſuper omnia mala debet deteſtari; id eſt, tanto cum vigore, ut anima vi hujusmodi actûs potius

tius eligeret omnia mala, quæ vitari peccandò valerent; tametsi amittere fortunas, privari famâ & honoribûs, imò ipsa etiam spoliari vita oporteret; quam ullius ampliùs gravioris peccati ream se facere. Et quamquam necesse non sit in hac comparatione ad particularia descendere; necessarium tamen omnino est, ut DEUS, qui profunda cordium intuetur, perspiciat, quòd Divinam suam amicitiam, legémque in eadem cum creaturis veluti bilance positam, rebus creatis omnibus tua in æstimatione præferas. Ultima denique doloris conditio est, ut sit supernaturalis, tam ratione principij, ex quo procedit, quô æque est gratia DEI, quàm ratione motivi, quòd esse debet nobis per fidem manifestatum. Adeoque si quis confitetur, quin ejusmodi dolorem, qualem hucusque descripsimus, suo in corde eliciat, peracta confessione cum omnibus suis peccatis domum revertitur: & persuadere sibi, se bene confessum esse, ad hoc quidem prodest, ut S. Eucharistiam percipiendo, Sacrilegium non committat, nequaquam autem impedit, quò minùs; si fortè hoc in statu eum mori contingat, pœnis æternis adjudicetur. Fingite, sacerdotem quendam, cùm infantem baptizaret, liquoris colore deceptum aquæ loco, vinum album affudisse: posset equidem hic error, quem bona fide commiserat, sacerdoti

ad

ad sui excusationem servire, istud tamen haud quaquam efficere valeret, ut infans revera baptizatus evaderet, eò quòd partes essentiales & necessarias Sacramenti, cujusmodi foret in præsenti casu aqua naturalis, quæ est materia baptismi, supplere bona fides non queat. Agedum, hunc casum jam tibi applica; considera, quòd, quemadmodum aqua naturalis materia est baptismi; ita materia pœnitentiæ Sacramenti est animi nostri contritio; & hinc etiamsi tu simul & conscientiæ tuæ arbiter dolorem tuum sincerum juxta, & numeris omnibus absolutum existimetis, si tamen DEUS contrarium videat, idem tecum erit, quod foret, si baptizatus non fuisses. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis* Luc. 13. iniquit Dominus: tam enim necessarius est ad delenda, quæ baptizati contraximus, peccata actualia baptismus pœnitentiæ; quàm ad extinguendum originale necessarius est baptismus aquæ. His omnibus positis, quæ sunt indubitata, considera obsecro, an vel probabile videri queat, illum, qui adeò liberè in peccata proruit, dicens identidem: *confitebor; absque hoc jam confiteri oportet;* verum habere de suis delictis dolorem, nimirum talem, qualem hactenus descripsimus? mihi manifestum videtur, quòd non; hoc enim dicendo apertè demonstrat, quòd ne quidem illius necessitatem agnoscat;

se-

ſecus profectò non leve emoti cerebri indicium præberet; cùm hocidem foret ac dicere; patrabo jam hoc malum, & poſtmodum id ipſum ſuper omnia mala deteſtabor, dolebóque, quòd fecerim: hac modò culpa meam animam conſpurcabo, & poſtmodum optabo, hanc maculam omni, qui per venas currit, fuſo ſanguine, poſſe abluere. Vides, opinor, neminem, niſi hominem capitis vertigine haud parùm laborantem ita ſecum poſſe diſcurrere. Et planè, tu ipſe ſi diſſuadere alicui quidquam intendis, ita eum adhortaris: caveſis, ne tui te poſtmodum facti pœniteat. Et ille, ſi initi conſilij pœnitudinem ſuum poſtea ſubituram eſſe animum præviderei, procul dubio ab illius executione abſtineret. Quodſi iſtud, quod dixi meritò dubitandi anſam tibi præbeat, an in ſimilibus caſibus vel dolorem etiam levem habeas; judica, an perſuadere tibi valeas, te habere dolorem illum ſummum, qui te penitus mutet in alium, & toto corde ad DEUM convertat; qui ſit in comparatione omnis alterius doloris, ſicut mare fluviis comparatum: *Magna velut mare contritio tua.* Thren. 2. Ulteriùs audiviſti, contritionem debere procedere ex gratia DEI, iſtiúsque donum exiſtere. Si proinde DEI donum eſt contritio, donum gratis datum ſit oportet, & quidem tale, quod non cuivis animæ, concedatur: ſecus enim

enim ſpeciale donum non foret. Bonum inſuper eſt, ex pretioſiſſimis, quæ ab inexhauſto illo gratiarum fonte DEO ad nos poſſunt deſcendere; beneficium Divinæ Bonitatis ſpecialiſſimum; opus divinæ omnipotentiæ maximum, ita quidem; ut, ſi alium mundum totum aureum, aliud cœlum totum adamantinum procrearet, & utrumque arbitrio tuo dominióque penitus relinqueret, infinitè tibi minus daturus eſſet, quàm ſi veræ contritionis actum concederet. An autem jam probabile tibi videtur, DEUM tam promptè, & quolibet momento, quo tibi libuerit, hanc gratiam uſque adeò pretioſam elargiturum? hancgratiam, quam tot negat mortalibus in ſua cordis duritie derelictis? hanc gratiam, quam ut obtinerent Sancti, tam diuturnas, aſperásque egerunt pœnitentias, tam copioſas lacrymas profuderunt; & ad quam recipiendam tot ſe meditationibus diſpoſuerunt? S. Carolus Borromæus ſingulîs annîs confeſſione generali animum expiabat, atque ut ſincerum DEO factorum ſuorum dolorem impetraret, in Sacra ſolitudine per plures ſeptimanas ſpiritualibus exercitiis ſe præparabat; die autem, qua confeſſionem peragebat, octo integras horas eliciendis perfectæ contritionis actibus, fundendíſque ad cœlum pro obtinendo tam pretioſo dono precibus impendebat: & tu qui forſan heſterna adhuc luce novis

vis te ſcelerum ſordibûs contaminâſti; hodie ſtatim, absque eo, quòd de peccati gravitate vix quidquam cogites, absque eo, quòd ſupremam offenſi Numinis Majeſtatem, Immenſámque Ejusdem Bonitatem conſideres, absque eo, quòd vel librum, qui de hujusmodi materiis differat, inſpicias; hoc ſolo contentus, quòd præteritæ vitæ crimina in memoriam revoces, & ad ſacerdotis aures delaturus accurras, tibi videris miraculum veræ pœnitentiæ: non obſtante, quòd tam gravia ſtent contra cauſam tuam præjudicia, támque graves ſuppetant rationes credendi te quidem vas cordis laviſſe exteriùs, interiùs verò adhucdum plenum eſſe iniquitate.

Verùm etiam illud evenire concedamus, quod, ut eveniat, tam difficile eſſe hucuſque diximus, quòd nimirum ille, qui pro nihlio peccatum reputat, quando committit, tam facilè illud ſuper omnia mala deteſtetur, quando deferre ad ſacrum tribunal cogitat; altera tamen adhuc cœcorum iſtorum hominum ignorantia circa confeſſionis effectus remanet explicanda. Sibi ipſis perſuadent, commiſſa à ſe delicta poſtquam ſemel confeſſario ſunt expoſita, poſt datam abſolutionem, non magis peccatori nocere, quàm ſi nunquam fuiſſent commiſſa: ita, ut iſtarum animarum quælibet, quæ à S. Petro ob mille turpitudines toties repetitas *ſus lota in volutabro luti* appel-

pellatur, à sacerdotis pedibus recedat, ac si semper agnus sinè macula extitisset. Sed enim, haud quaquam res ita se habet: quemadmodum enim baptismus, tametsi originali labe animam abluat, concupiscentiam tamen, aliósque hujus ipsius peccati effectus non tollit; ita confessio ritè peracta equidem ex corde culpam expellit, nullatenus tamen ordinariè saltem, ab omnibus, quæ secum ista advexerat, malis liberat; eò quòd nec ab omni pœna nostris transgressionibus debita immunes nos præstet, nec omnes pravorum habituum vires, licèt aliquantulum imminuat, penitus infringat. Et hoc etiamnum explanandum supereſt.

Primò igitur, post confessionem etiam ritè factam multa adhuc pœna remanet sive in hoc mundo austeritates inter & afflictiones; sive ibi in igne purgante sustinenda. Divina enim justitia, si cum culpa æternam quoque pœnam condonat, non ita condonat, ut non aliquam saltem, prout æquissimum est, satisfactionem exposcat. Ob quam causam S. Job. omnes suas operationes pertimescebat, *verebar omnia opera mea.* Noverat nimirum, nullatenus DEUM totum peccatori debitum facilè dimittere: *Sciens, quòd non parceres delinquenti.* c. 9. v. 28. Confessionem itaque perages, uti speras, & forsan eam perages bonam; sed justam quoque de peccatis pœ-

nitentiam ages, non levem ſolummodo illam, quam confeſſarius injunxerit, ſed aliam inſuper, eámque longè graviſſimam, quam DEUS ipſe tibi imponet, immiſſis morbis, litibus, jactura fortunarum, morte præpropera, quæ te, aut tibi cariſſimos abripiet, quemadmodum Regi Davidi eveniſſe compertum eſt, cui dimiſſo gemino adulterij & homicidij crimine, afflictiones tamen ingentes immiſit, quales fuerant inopinatus filij interitus, & Abſalonis juxta ac totius Regni concitata rebellio. Quodſi autem debitas criminibus pœnas in hac vita non expoſcat, haud dubiè in altera in horrendi illius ignis fornace repetet, ſicuti repetiiſſe ab illo milite Thomas Cantipratanus teſtatur, qui, cùm elicita quidem priùs vera contritione, ſed multis etiamnum debitis gravatus è vivis exceſſiſſet, ſummæ poſtmodum conſolationis locò habuit, quod ſperare liceret, acerbiſſimas ſuas pœnas cum fine mundi habituras. L. 2. c. 51. p. 4.

Et iſtud quidem, quod hucuſque diximus, minus adhuc eſt: magis me terrent infelices aliæ, quæ poſt peccatum in confeſſione etiam ritè peracta dimiſſum remanent, reliquiæ, quas inter præcipuè ſe offert parvus habitus, qui à peccatis generatur. *Mortuus eſt Pater*, inquit Eccleſiaſticus, *& quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit poſt ſe. c. 30.* Hæc verba aptiſſimè applicari peccato poſſunt, quod, etiam-

etiamsi post sinceram confessionem penitus moriatur, ita tamen se habere videtur, quasi mortuum non esset, quia superstitem reliquit malam consuetudinem, quam non incongruè infaustum actûs pecaminosi partum nuncupemus, utpote quæ ab illo generata ad id tendit, ut nova identidem peccata pariendô, illius propagationem perpetuò continuet. Pravus isthic habitus, ac fatalis ista dispositio nova semper in anima nostra pro peccatorum, quæ committuntur mensura, incrementa accipit, & majoribus semper animæ salutem periculis exponit. Quòd autem nova ei continuò augmenta adjiciantur, præter alias rationes ipsa fides Sacris ex Paginis frequentissimè manifestat. Sic in Proverbiis dicitur abire peccator post voluptates prohibitas bovis in morem, hoc est tardè & cum repugnantia: *sequitur eam quasi bos.* Paulò pòst verò sequi eas saltitandô dicitur insolescentis agnelli instar: *quasi Agnus lasciviens.* Et tandem, velocissimo volatu insequi, sicut volucris, quæ concitatîs pennîs prædæ inhiat: *velut si avis festinat.* Psalmô autem 108. æterna Veritas per os Prophetæ asserit, peccatorem se maledicta iniquitate vestire: *induit maledictionem sicut vestimentum:* Postmodum verò hæc ipsa iniquitas contracto habitu, & repetitîs identidem actibûs semper ulteriùs ad interiora penetrat, sicuti aqua hausto accepta in intima se

se viscera insinuat: *sicut aqua in interiora ejus*, & tandem veluti oleum ipsas etiam ossium medullas pervadit: *& sicut oleum in ossibus ejus.* Psalm. 7. habetur, peccatum ab initio velut inimicum nos persequi; *persequatur inimicus animam meam:* statim deinde subjungitur, quòd nos ferociter comprehendat, atque in terram prostratos conculcet: *comprehendat & conculcet in terra vitam meam;* & denique in pulverem nos redigat ventorum impetu dissipandum: *& gloriam meam in pulverem deducat.* His, aliisque similibûs loquendi formulîs docere nos vult Divinus Spiritus, animam quò liberiùs se se in peccandi licentiam effundit, eò longiùs à salutis suæ semita recedere; atque à peccatoribus non ea ratione eam perdi, qua pretiosus annulus, qui eo in loco jacet immotus, in quo cecidit. Sed sicut stolida ovis, quæ quò longiùs progreditur; eò longiùs suo à pastore recedit; *erravi, sicut ovis, quæ periit.* Psal. 118. Et tamen insani isti perinde esse sibi persuadent, sive unum, sive centum peccata comittant, absque eo, quod unquam cogitent, peccata peccatis agglomerandô, pejore se semper animæ suæ salutem in statu collocare; cùm hoc modo magis semper, magísque mentis oculi excæcentur, cor magis induretur, onus identidem magis aggravetur, majus in momenta ferè robur succrescat tentationibus, qui-

quibus impugnantur, è contrario vires ad vincendum neceſſariæ in dies decreſcant.

Quare ſi deinceps fortè contingat, ut veterator ſtygius in peccati cujusdam te præcipitare profundum contendat, cave ne ipſemet caſum tuum veſanè promoveas dicendô: *confitebor*, ſed potius invincibili ſcuto animum robora, ſic tecum ipſo dicendo: quis ſcit, an confeſſurus ſim bene? quis novit, an non hoc fortè peccatum ſit ultimum, cujus divina Bonitas mihi concedere veniam velit? quis certum me reddit, quòd mihi daturus ſit DEUS donum illud pœnitentiæ, quod innumeris aliis denegavit mihi ſimilibus peccatoribus, qui modò in rogo infernali torquentur; illud donum, pro quo obtinendo tam ardentibûs ad cœlum votis ſuſpirat S. Mater noſtra Eccleſia Catholica? *ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.* Quis ſcit, an ſi vivere absque DEI timore aſſuevero, non ſenſim me daturus ſit in reprobum ſenſum; & tandem devolvi ad impœnitentiam finalem patiatur? *Sapiens cor, & intelligibile abſtinet ſe à peccatis. Eccl. 3. v. 32.* hoc propriè eſt eſſe ſapientem, *ſapiens cor*, negotium ſuæ æternitatis tam manifeſto periculo non exponere, quale eſt in eo, ne fortè infructuoſa confeſſio peragatur; & cùm tuæ ſalutis ſpem fortiſſimo alligare funi valeas, è debili marcidóque funiculo non ſuſpendere, quo poſt modum in fruſtra abeun-

te in ſempiterni ignis profundum præcipiteris. Hòc eſt intelligere, quanti momenti res ſit peccatum, quid rei ſit vera confeſſio, quasnam diſpoſitiones requirat, quos in nobis effectus producat; nempe abſtinere à peccatis, *Sapiens eor, & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis* at qui econtra iniquitatem non maſticatam devorat, eò quòd ſperet, ſuo tempore eam denuo poſſe evomere, luculentiſſimum ſuæ dementiæ argumentum præbet, cùm ultrò admittat malum quoddam infinitum; ſimúlque ſibi promittat illud, quod in ſola DEI manu poſitum eſt, tempus nimirum pœnitendi, & opportunum ad agendam dignam pœnitentiam auxilium; quaſi verò DEUS maximus non eſſet, ſummèque tremendus, atque in exequenda vindicta potentiſſimus peccatorum omnium inimicus, & ille, qui omnem iniquitatem infinitò odiò perſequatur.

Quodſi infortuniò lapſus ſis in peccatum, noli, quæſo, in hoc luto animam deinde tuam volutare, ſed potiùs ad DEUM te converte, & humili affectu veniam flagita; ne tempus futuræ confeſſionis expecta, verùm quàm citiſſimè, multis iiſque, quantùm fieri poteſt, intenſiſſimis contritionis actibus te inter & DEUM feliciſſimam pacem redintegrare ſatage. Nonne hæc Temeritas eſt planè intolerabilis, quòd, cùm quòvis momentò avocari ex hac vita poſſis, vel per momentum

tum unicum vivere in peccato mortali audeas? id est, quòd super horribilem malorum omnium abyssum, scilicet infernum hæreas suspensue è tenuissimo filo, quale est vita hæc mortalis? Et tamen in discriminis plena hac statione non per unicum tantummodo momentum, sed per menses etiam complures persistis, & inde te eripere differs, usque dum aut Paschatis, aut Natalis Domini festiva solennitas appropinquat? Atque interea tam securè & risui & somno indulges, quasi exanimem truncum offendisses, qui impactas sibi injurias non persentisceret, nec brachium haberet, quo tuam tandem insolentiam ulciscatur. Ante annos non adeò multos juvenis quidam illiciti amoris vinculis implicitus profligatæ famæ simul & vitæ fœminam perditè deperibat. Acerbè propterea & à Patre, à cognatis, & à confessario reprehensus. tandem statuit, per exactam à tota vita exhomologesin dæmonis se sepedicis explicare. Igitur peccatorum suorum summam solicitè collectam in schedula annotavit; verùm tam remissum suo examini dolorem subjunxit, ut, cum Sacrum Judicem accessurus sceleſti prostibuli fores transiret, induci se pateretur, ut priùs adhuc, quàm templum subiret, in illius ædes intraret, novam hanc culpam simul cum antiquis Sanctum postea ad tribunal delaturus. Verùm enim verò, cùm jam jam in

eo eſſet, ut ſceleratæ ſuæ paſſioni habenas laxaret, inſperatò juvenis alius iſtius corrivalis ſupervenit, qui repentè actus in furias, ſtrictóque in eum irruens gladio, uno ictu confoſſum ad æterna ablegavit. Invenêre deinde, qui mæſti cadaveris veſtes excuſſerant, ſchedulam illam, quam eum in finem præparaverat, ut ex ea peccatorum ſuorum catalogum confeſſario recitaret. Age jam, ſi ſimilis eſſes miſerando huic juveni in peccandi temeritate ſub ſpe facilis veniæ; nunquid ſimilis quoque eſſe aliquando poſſes in perferenda pœna? Profectò malum eſt adeò terribile damnari; ut ex innumeris caſibus, qui quotidie ferè eveniunt, vel unicus extremo nos omnes horrore concutere, & noſtram peccandi libidinem refrænare penitus deberet.

LECTIO III.

DE IMPEDIMENTO,

Quod affert ſaluti noſtræ parùm curare peccata luxuriæ.

GRavis omnino ponderatio eſt S. Thomæ, cùm obſervat, quòd Mundi Magiſter S. Paulus de nullo alio vitio nos admoneat, ut ne ſeduci nos patiamur, quàm ubi de peccato luxuriæ loquitur. Sic ad Corinthios ſcribens, ne patiamini, inquit, à paſſione ve-

vestra vos decipi; sed pro certo habete, illum, quem libido possederit, Regnum DEI non possessurum: *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles regnum DEI possidebunt.* 1. Cor. 6. v. 9. Id ipsum in Epistola ad Galatas repetit: nolite vosmetipsos decipere; nemini fas est cum DEO nugari: quod seminaverit homo, illud & metet: *Nolite errare: DEUS non irridetur: quæ seminaverit homo, hæc & metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Gal. 6. v. 8. Idem & quidem apertissimè Ephesiis inculcans, altissimè, ait, hanc veritatem animis vestris imprimite, & ne patiamini vana vos garrulitate seduci; nullus fornicarius, aut immundus hæres est regni JESU Christi: *hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi & DEI: nemo vos seducat inanibus verbis.* Hunc in modum, inquit S. Thomas, Apostolus loquitur, admonendo nos semper, ut ne seduci nos patiamur, quando agit de abominando luxuriæ peccato: *Notandùm, quòd in vitiis carnalibus solùm docuit vitare seductionem:* quia à primo mundi exordio homines excogitare rationes conabantur, quibus quasi balsamô suæ carnalitatis putredinem illinerent: *quia à principio, ut homines possent liberè frui concupiscentiis, co-*

gitaverunt invenire rationes, quòd fornicationes, & hujusmodi venerea non essent peccata. S. Th. in c. 5. Eph. Lec. 3. Jam verò, cùm præcunte Evangelij luce tam palpabiles tenebræ, ut licita esse lasciviæ peccata reputentur, habere locum amplùs non possint, alleviare saltem eorum gravitatem satagunt, & peccata hujusmodi levis esse momenti, facilis veniæ, atque exiguum animæ damnum inferre sibi persuadent. Id proinde agemus in præsenti lectione, ut errorem hunc, qui alveum aperit innumerabilium scelerum torrenti, qui homines innumeros secum ad inferos devolvit, absque larva, prout est in se ipso, aspectui proponamus, ostendendô primô damnum, quod affert saluti; & deinde remedium, quo ab eodem liberari possimus.

DAMNUM,

Quod infert saluti non curare peccata luxuriæ.

LOquendo absque ulla passione, negari non potest, hominem lascivum, tametsi aliena non auferat, tametsi à detractionibus & blasphemiis abstineat, spectatîs solis luxuriæ peccatîs, magnum esse peccatorem, atque in manifesto æternæ damnationis discrimine versari. Ut viam aperias cognoscendæ huic veritati, revoca in memoriam finem Samsonis luctuosissimum, cujus commisera-

tio-

tione, qui non tangitur, humanum se cor non habere apertè commonstrat. Juvenis suis parentibus à DEO per miraculum promissus; inter Nazarenos DEO dedicatus, à DEO in liberatorem populi sui electus, postquàm admirabili robore leonem in frusta discerpserat, postquàm solâ asini maxillâ integrum prostrârat exercitum, postquàm funes & nervos veluti araneæ telam distruperat, tandem proditus à perfida fœmina, comprehensus à Philistæis, ab iisdem crudeliter excæcatus, veluti jumentum ad trahendam molam asinariam adhibitus, tandem altâ ruinâ, quam suis ipse manibûs sibi injecerat, oppressus vitam terminavit. In isto casu adeò lacrymabili nihil jam aliud est magis funestum, quàm quòd imago sit infaustissimæ sortis plurimorum Christianorum, qui inter sancti Baptismatis miracula in sinu S. Matris Ecclesiæ renati, electi, ut & ipsi ad sanctitatem pertingerent, postquam eorum fides primis innocentiæ annis ab orco impugnata, semper invicta perstitit: tandem in prædam cedunt perfidæ huic Dalilæ, atque omni exarmati fortitudine, omni libertate, omni gloriâ spoliati eò deveniunt, ut vivere vitam incipiant bestiis potiùs quàm hominibus dignam: ipsámque infelicem hanc vitam suis passionibûs excæcati morte terminent infeliciſſima, & tandem prælato innumerabilium peccatorum pondere op-

pres-

preſſi ab imaginariis ſenſuum ſuorum voluptatibus ad vera, ſempiternáque tormenta, in inferni abyſſo ſubeunda, in momento deſcendant: *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Job. 11. v. 12.

Verùm, ut magis in particulari comparationem inſtituamus inter miſeriam Samſonis, quæ eſt figura, & miſeriam laſcivorum, quæ eſt figuratum, tres infelicitatis gradus in miſero Samſone obſervetis velim; fuiſſe ligatum, fuiſſe excæcatum, fuiſſe oppreſſum. Jam cum infelicitate luxurioſorum conferte.

Imprimis luxurioſi tot carenis ligati ſunt, quot ſunt peccata, quorum ſe reos fecerunt, & per illa non hominum barbarorum, ſed ipſius dæmonis mancipia ſunt effecti. Ut autem, quàm magna ſit probroſæ hujus captivitatis calamitas, intelligamus, pravi habitûs violentiam obſervemus neceſſum eſt. Qui dixit, conſuetudinem eſſe alteram naturam, parùm dixit; videmus enim, ipsâ naturâ eſſe potentiorem, utpote quam corrigit & vincit. Quænam res magis eſt contraria naturæ, quam venenum? & tamen ſcimus aliquos, qui, cùm paulatim illi ſumendo aſſueviſſent, tandem absque ullo damno veneno veſcebantur. Præter alios refert Rodiginus de quadam puella, quæ cùm primô parùm aliquid de araneis manducare aſſueviſſet, inde ad cibos magis venenatos progreſſa eſt, & quamvis adeò

ve-

veneno ſcateret, ut vel ſola ſaliva alios inficeret, nihilominus ipſa ex nutrimento aliis tam nocivo alebatur & vires conſervabat. Videtis proinde, quantum conſuetudo valeat, cùm ipſam naturam ſuperet, atque exinde jam concludite, quantò plùs tunc valitura ſit, quando naturæ non modò non opponitur, verùm cum illa etiam conſpirat. Qui tantum habet roboris, ut lapidem, quamvis innato pondere reluctantem in altum projiciat; quantò magis eidem deorſum jaciendo ſufficiet, quò ex naturali propenſione jam tendit? hic igitur habitus ex ſe adeò robuſtus, ſuam in vitiis fortitudinem duplicat, ut corruptæ naturæ impetum ſequatur: Ex nullo autem potentius, majúsque virium ſuarum augmentum recipit, quàm ex vitio luxuriæ; atque adeò credi non poteſt, quàm arctîs animam vinculîs conſtringat, quàm diram in eandem tyrannidem exerceat. Ad efformandum enim habitum omni ex parte roboratum hæc duo plurimum conferunt, nempe multitudo actuum peccaminoſorum, & intenſio, qua eliciuntur; hæc autem ipſa ſunt, quæ in peccatis luxuriæ magis, quàm in ullis aliis reperiuntur. Et quantum quidem ad intenſionem attinet, ſcire convenit, quòd operationes delicioſæ ſemper majore cum intenſione fiant, quàm aliæ: Et has ipſas inter operationes etiam illæ ſint intenſiores, quæ ad tactum pertinent;

præ-

præcipuè verò illæ, quas natura ad propagandam ſpeciem ordinavit; atque adeò unicus ejusmodi actus tanta ſit cum intenſione, ut aliquando ſe ſolo ad conſtituendum habitum poſſit ſufficere. Si leo humanum ſanguinem ſemel guſtavit, tanta ſemper illius cupidine exardeſcit, ut vix ampliùs valeat manſuefieri, & ipſi illius nutricij, quando cum illo tractandum, in ſummo vitæ periculo verſentur. Hæc eſt conditio habitûs luxuriæ poſt primum peccatum, quod in hoc genere committitur: Unde colligere jam licet, quantum futurum ſit illius robur, poſtquam impurorum actuum numerus auctus fuerit ſine numero; id eſt, poſtquam leo iſte à primis unguiculis ad edendam hominum ſtragem aſſuetus, tam diuturno tempore tam grato pabulo ſua viſcera exſatiavit? Dixi; numerus ſine numero; quia hic eſt titulus, quem S. Petrus luxuriæ attribuit; *Inceſſabilis delicti* 2. Pet. 2. Multi tam citò peccare incipiunt, ut malitiam bibiſſe cum lacte videantur: *Erraverunt ab utero.* Pſal. 52. Germen illud, quod capræ impuræ dentibus arroſum eſt, nunquam ampliùs vireſcet: Ejusdem prorſus naturæ communiter eſt germen innocentiæ; poſito enim in infantia tam ſceleſto principio, animi puritas ſemel ab impura libidine arroſa nunquam ampliùs reflo-reſcit. Et hinc perverſam infantiam ſubſequitur deterior pueritia; malæ pueritiæ ſuc-

ce-

cedit peſſima juventus, parique paſſu omnis reliqua ætas procedit, in qua flamma hæc infernalis non niſi cum vita extinguitur, faculæ inſtar atra ex pice confectæ, quæ ardere non ceſſat, donec penitus fuerit ab igne conſumpta. *Oſſa ejus replebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient;* inquit S. Job. 20. v. 11. Tam diu peccatum non derelinquunt, donec à peccato ipſi non deſerantur. Adde, quòd illorum peccata certis Malabriæ fructibus ſint ſimilia, qui quidem exteriùs intuentibus ſimplices videntur; at verò ſi interiora eotundem viſcera aperiantur, alij inſuper aliique fructus magno numero reperiuntur. Simili prorſus ratione in illo peccato, quod homines luxurioſi vocant peccatum unicum, quantam aliorum multitudinem DEUS inveniet, ubi interiora illius viſcera juſtus Judex exactiſſimè in judicio perſcrutabitur! quot prava deſideria, quot verba impura ad hanc illámve ſeducendam, quot machinationes, quot greſſus & ſemitas, quot honoraria, quot fraudes deprehendet! ut juſtam ſummam horum colligamus, turmatim iſtud genus peccatorum menſuremus oportet, ſicuti olim Xerxes milites numerabat, eò quòd ſingulatim eorundem iniri numerus non poſſit. Quisnam autem capere ſufficienter jam valeat robur ſceleſti illius habitûs, qui tam vaſta actuum peccaminoſorum, toties re-

repetitorum, & usque adeò intensorum multitudine conflatur? & hinc quoque quis comprehendere jam possit, quam arctis ligatus vinculis teneatur miserabilis luxuriosus? *Duo nos ad peccatum solicitant, natura & habitus, quæ duo conjuncta robustissimam faciunt concupiscentiam.* Aug. l. 83. l. 9. 68.

Priusquam autem ulteriùs progrediamur, considerare vos velim palmare mendacium, uno & sibimetipsis & aliis imponunt, cùm sua peccata fragilitatem appellant. Nescio sanè, an vel ipse mendaciorum parens diabolus proferre in medium tam enorme mendacium non erubescceret; istud autem, si fortè & cor vestrum seduxisset, ut è medio tollatur, in publicam apertámque lucem protrahatur necessum est, talpæ instar, quæ nisi sub terra vivere non potest, Primò itaque magna culpa est Christiani, etiam quòd fragilis sit. *Fecisti mala, & potuisti*, ait Dominus *apud Jerem. c. 3. v. 5.* Ab infidelibus itaque in judicio rationem exiget, quod peccaverint, à Christianis autem non solùm quòd peccaverint, sed quòd peccare etiam potuerint. Gratia in sacro baptismatis lavacro suam te in tutelam ac velut in manus recepit; præivit te in actionibus tuis; in his ipsis constanter fidelitérque te comitata est ac sublecuta, ut omni ex parte defenderet; & fragilem te jam esse dicas? unam solam Communionem Sacram ad hoc suffice-

re

re ajebat S. Maria Magdalena de Pazzis, ut quis ad excelsum sanctitatis gradum ascendat; & tu toties hoc pane vitæ refectus toties in Sacra Confessione adversùs infernum cœlesti robore confortatus es; & tanta nihilominus tibi fragilitas insit, ut nemine etiam impellente concidas? Cogita jam, quid responsurus sis: Fragilitas erit illud, quod vel maximè coram districto Judice reum te faciet. Proinde scire te oportet, qui ex habitu peccat, haud quaquam ex fragilitate, sed malitia peccare, ùt docet Magistrorum Magister Angelicus Thomas; peccat enim cum plena electione, cum plena deliberatione ex parte intellectûs, & cum plena inclinatione ex parte voluntatis, & cum judicio stabili; unde suo etiam peccato delectatur. Si famulorum aliquis in apparanda mensa unum scyphum quotidie aut plures etiam diffringeret & postmodum se excusare niteretur dicendo; scyphos ex vitro esse conflatos; an excusationem hanc ùt justam admitteres? præcipuè verò, si non solùm cautiùs imposterum eos tractaret, sed potiùs occasionem alios identidem frangendi studiosè inquireret; iisque confractis in risus & plausus erumperet, casúmque festivè aliis è familia recenseret? Et tamen hoc totum umbra tantummodo est illius, quod suis in peccatis facit homo luxuriosus; & postmodum fragilitate se excusare nititur. Vix unicum

etiam peccatum, pro fragilitate haberi poteſt; & tu vitam, quæ ab initio uſque ad finem ſpurcitiis plena eſt, fragilitatem cenſeri vis!

Verùm ut ad intentum noſtrum redeamus; Ecce! hominem laſcivum velut Samſonem ligatum, ſed funibûs ſine comparatione fortioribûs, pravi nimirum habitûs, innumerabili graviſſimorum criminum multitudine roborati, atque per hoc ad extremam miſeriam redactum. Præſertim, cùm longo tempore in hoc tam lamentabili ſtatu vivendo eò uſque devolvatur, ut cum Samſone non modo oculorum uſum, ſed ipſos etiam oculos infeliciſſimâ cœcitate deperdat. Certiſſimum eſt, vitia omnia eclypſin quandam rationis in anima efficere: Verùm libido eclypſis eſt totalis, hæc enim (quæ Angelica eſt divi Thomæ doctrina) nulla in re ſecundùm rationis judicium procedit; & ubi iracundia, ſi ei non obediat, at eam ſaltem auſcultat, libido etiam eam auſcultare recuſat. Ita Rex David, poſtquam in ſe ipſo funeſtos iſtos laſciviæ effectus expertus erat, brevibûs hîſce verbîs eosdem vivaciſſimè deſcribit: *comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem Pſal. 59. comprehenderunt me iniquitates meæ:* ecce! perverſi luxuriæ habitûs ligamina! *& non potui, ut viderem:* ecce! luctuoſam cæcitatem! ob quam non dicit ſe non vidiſſe; ſed nec videre qui-

quidem potuisse; per abominandum enim hoc vitium usque eò devenit hominis anima, ut quasi omnem rerum divinarum fidem amittat, talémque vivere vitam incipiat, ac si pro se nec infernus, nec paradysus existeret. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Ose. 4. v. 11.* Et quanto demum tempore Davidem putatis post commissum adulterium exspectâsse, donec denuo ad cor rediret? in scelere perstitit ad annum circiter; & haud dubiè adhuc diutiùs in illo perseverâsset, nisi DEUS per alium Prophetam amissos oculos in suum, ut ita loquar, locum ipsi repositisset. O Rem planè horrificam! homo secundùm cor DEI efformatus, homo cœlestibus deliciis assuetus, mysteriorum divinitatis occultissimorum Secretarius, vix huic luto luxuriæ pedem infigit, & omnem virtutum vigorem amittit, *dereliquit me virtus mea*; tantásque tenebras menti inducit, ut impendentem suo capiti Divinæ justitiæ gladium non modò non videat, sed ne videre quidem valeat; *non potui, ut viderem*; ac si DEUM non ampliùs agnosceret. Inde jam concludas velim, si unicum luxuriæ peccatum eò cœcitatis Prophetam deducit, qui tanto tempore vivere vitam assueverat humanâ altiorem, quousque tandem cæcitatis luxuriosos promovebit innumerabilis turpissimorum criminum multitudo, quibus ab annis teneris ad extremam

usque canitiem omnes suos dies contaminant;

Denique Samson, postquam in vinculis amiserat libertatem; postquam insuper non visum tantummodo, sed ipsos etiam oculos perdiderat, sub alta, quam ipse sibi superinjecit, ruina oppressus interiit. Hoc ipsum etiam luxuriosis obtingit, hoc tamen discrimine, quòd Samson oppressus de suis hostibus gloriosè triumphârit; luxuriosi verò æternum in infernali abysso dœmonibus triumphum adornent. Itaque in quid tandem desinit vita inter scelera transacta, nisi in mortem peccatoris, hoc est, longè pessimam, per quam simul & temporalia amittuntur & æterna; & incurritur miseria, immensa in pœnarum multitudine, & infinita in sua duratione! *mors peccatorum pessima. Psal. 33.* qui cum diuturno morbo luctantur, juxta medicorum aphorismum in hyeme decedunt: *qui morbis diuturnis laborant, moriuntur tempore hyemis.* Certum est, hoc ipsum communiter luxuriosis evenire, utpote qui per totam quasi vitam infirmi, & novis identidem, iisque semper periculosioribûs simptomatîs eò reducuntur, ut excedere vita debeant tempore hyemis, congelatæ ob gratiæ auxiliorum paucitatem, queis toties infelices isti indignos se reddidêre, congelatæ turbine tentationum vehementissimarum, quibus materiam

riam simul & robur tot, tantísque suîs excessibûs suppeditârunt, congelatæ denique ob inveteratam jam voluntatis pigritiam ad aggrediendum bonum, & detestandas efficaciter prohibitas voluptates. Et hoc quidem si ad extrema redactis tempus non desiit ad componendas animæ rationes; & si mors non obscura sui adventûs indicia præmittat, cursoris in morem, qui inflare cornu assolet, antequam ad hospitium pertingat; judica jam, quid tum denique contingat, ubi mors latronis instar supervenit, nihil de ea cogitantibus vel quòd veniat improvisò, vel quòd gravitas morbi, temporalium negotiorum compositio, spes recuperandæ valetudinis omnes ad lucrandam æternitatem residuas temporis reliquias his miseris auferat; unde absque eo, quòd gloriari possint, se in vita sua præterita vel per mensem continuum DEI legem observâsse, unico quasi saltu à suis sceleribus transeunt ad tribunal infinitæ justitiæ, quæ & Bonitatem DEI, & peccata hominum; sua beneficia, & nostram ingratitudinem justa in statera appendit, & in utrisque videt abyssum sine termino.

Ex hoc, quod hactenus dictum est, facilî negotiô duplicem potes veritatem eruere; prima est; luxuriosum hominem absque dubio esse magnum peccatorem, tum ob criminum multitudinem, tum ob ingentem, qua com-

mittuntur, malitiam; dum denique ob ipsorum istorum scelerum enormitatem; quæ, cùm juxta doctrinam S. Thomæ, sint opposita bono vitæ hominis nascituri, post homicidium ex iis, quæ contra proximum committuntur, sunt omnium graviſſima; præterquam quòd ſpecialem ſecum afferant deformitatem propter injuſtitiam, aliásque ſummæ abominationis circumſtantias, quibuscum ſæpenumero conjunguntur. Altera deinde veritas, quæ hujus ſtatûs miſeriam immensùm adauget, eſt, quòd homo laſcivus non modò ſemper ſit magnus peccator; ſed inſuper talis, qui rarò evadat ſeriò pœnitens; cùm eò inducere animum non valeat, ut peccatorum ſuorum malitiam, cùm eorum ſe in confeſſione accuſat, efficacî odiô deteſtetur; *malitiam autem non odivit. Pſal. 35.* quamdiu apoſtema non eſt maturum, acutiſſimîs doloribûs lancinat; ubi verò maturuit, putridáque ſanie refertum eſt, nihil ampliùs exinde doloris ſentitur. Ita omnino ſe res habet cum iis, qui peccandi habitum contraxerunt, utî non obſcurè ex eo licet concludere, quòd nullum arripiant remedium, quo ſanitati reſtituantur; quod fugiant confeſſarios, qui ſuas turpitudines reprehendant; & ſemper illos mutent, donec ex iis aliquem reperiant, qui ut ita dicam cancro aquâ roſaceâ medeatur, quodnam clarius deſideras indicium,

quòd

quòd vulnus nullum tibi dolorem afferat, quàm si illud nec fasciis obliges; nec ullum ei emplastrum applices, & in dies singulos chirurgum permutes? quisnam autem statum excogitet magis miserandum, quàm sit illius, qui adcò pacatè illa in statione quievit, quæ tam facilè mutari potest in præcipitium sempiternum? *Quid miserius misero, non miserante seipsum?* Dicebat S. Augustinus. Si miseriam tuam non agnoscas; si periculum damnationis non apprehendas; si nullam illud evadendi sollicitudinem adhibeas; quid aliud jam dici potest, nisi ad illud profundum jam te descendisse, ex quo longiùs progredi non possis, nisi infernum subeas; quódque non est aliud, quàm peccati contemptus. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18. v. 8.* Unicum remedium abolendi peccatum, est illud summo dolore detestari; qua autem illud ratione summo dolore detestaberis, si apprehendas ùt fragilitatem, ùt jocum, ùt malum nullius prorsus momenti?

REMEDIUM

Ad tollendum hoc impedimentum.

LOquendo jam de remediis, primum sit semper ex omnibus oportet devota oratio, qua lucem à Patre Luminum submisso

corde flagitemus, ut ea prælucente hujus mali magnitudinem plenè cognoscere, atque ita ab illo liberari valeamus. *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* c. 31. v. 19. ad DEUM ajebat Jeremias Propheta, quoadusque enim divina Clementia vitiorum nostrorum turpitudinem nobis non ob oculos ponit illius præcipuè, quod adeò à voluptuosis amatur, nempe luxuriæ, nulla unquam ratione ad illius detestationem ac fugam permovemur. Considera, quid evenerit S. Mariæ Magdalenæ. Hæc, priusquam superno isthoc lumine fuerat illustrata, inter scelera exultans, suâ se profligatæ vitæ licentiâ beatam credebat; at verò, ubi primus divinæ collustrationis radius in illius se se animum infuderat; *Ut cognovit;* Tantam in se conformitatem conspiciebat, ut sepositio omni alio respectu ad amabilissimi Redemptoris pedes accurrerit, in aliena domo, publico in convivio, præsentibus protervè irridentibus, uberrimîs diffluere lacrymîs inceperit, nec priùs flere, quàm vivere cessârit, etiamsi se se jam semi-Beatam videret; utpote quæ sæpius de die ex spelunca sua Massilienši Angelorum manibus ad audiendam cœlestium concentuum suavitatem elevabatur; quasi in paradysum, ex qua æterna lege proscriptæ sunt, introducere lacrymas tentaret. Atque hæc erat illa lux, quæ Sanctos movebat, ut à vitio adeò ab-

abominando tantopere abhorrerent. Vel unica fœda ejusmodi cogitatio, cùm vigilantem Sancti Francisci Xaverij aggredi animum non auderet, eundem sopore oppressum oppugnare tentavit, tantóque Virum sanctum horrore concussit, ut circa præcordia vena rumperetur. Pari horrore perstricta est S. Francisca Romana, quæ cùm meretricis cujusdem ædes transiisset, idque ab aliis resciviset, repentè deliquiô oppressa in terram concidit. Simili quoque horrore contremuit Beata Maria Ognatensis, quæ, ubi locum quendam istorum scelerum sordibûs commaculatum pertransiisset, nihil priùs capere quietis potuit, quàm novaculâ sibi radi utriusque pedis plantas curâsset, quas pestifero luxuriæ infectas fuisse pedore existimabat. Nihil proinde aliud est, nisi miseranda cæcitas huic vitio tam propria, quæ abominandas has spurcitias aut excusabiles, aut etiam tam acceptas tibi efficit; secùs profectò tua immunditia æquè tuis, atque oculis divinis execrabilis appareret: *Immunditia tua execrabilis*, Ezech. 24. v. 13.

Secundum remedium est, peccatorum hujusmodi tam turpium seriem tam diu continuatam per aliquod tempus interrumpere: quemadmodum enim illi, qui ex terræ viscеribus sulphur solent effodere, quamdiu suo labori insistunt, nihil inde fœtoris advertunt;

at verò, ubi per aliquod tempus ab hoc labore recedunt, fœtorem denuo sentire incipiunt: ita pariter anima, quæ inter luxuriæ peccata quasi sensum perdiderat vitij illius, quod vel ipsi dæmoni stomachum movet, si per aliquod tempus ab illo se abstinet, rursum sentire ejusdem abominationem incipit. Verùm enimverò hoc opus hic labor, *dices mihi*; hæc ipsa summa est difficultas, hanc seriem resecare, continuatam hanc catenam abrumpere, pravum hunc habitum superare. Ita sanè est; & ideò, ut hoc remedium magis in partiaulari explicemus, imaginemur nobis aliquem, qui hujus *vitij habitum* contraxit, similem esse triginta annorum languido, quem Redemptor sanitati restituit & ex methodo, qua Christus in illo curando usus est, curationis tuæ modum disce.

Primò igitur Redemptor ex hoc tanti temporis infirmo, an sanus fieri optaret, quæsivit? *Vis sanus fieri?* Joan. 5. v. 6. Hic namque primus ad sanitatem gradus est, ut revera sanus esse desideres, illi vagabundi, qui cum vulneribus, quæ vel natura, vel ars inflixit, à pia aliorum commiseratione pingues eleemosynas elicientes circumvagantur, si, an sanari à plagis fuit desiderarent, interrogarentur; haud dubiè sine mora responderent; se id minimè desiderare; purulenta enim hæc vulnera nisi forent, unde viverent, nescirent.

rent. Hoc ipsum peccatoribus contingit contracto luxuriæ habitu: Nihil enim magis horrescunt, quàm omnino sordidis suis deliciis privari; id est, timent, ne ipsorum vulnera curentur. Ita omnium nomine de se confitetur S. Augustinus: *Timebam, ne me citò sanares*; illius locò, quòd exoptarem, ut tu O Domine tanquam cœlestis medicus à meo ulcere sanares; timebam sanari; & ipsa vita intolerabilis mihi videbatur, si citò sanitas mihi redderetur. Tu proinde si animæ tuæ salutis te cura tangit, vehementissimum in corde desiderium excita, ut à peste usque adeò fatali citò te liberum videas, considera, in eo te statu versari, quo miserior reperiri in terra non valeat; qui non est alius, quàm circumferre secum habitum illius vitij, quod suis turpitudinibus tot hodie animas in infernum præcipitat, quod olim dœmones in eundem suo fastu superbia deturbavit: *Exceptis parvulis pauci ex adultis propter carnis vitium salvantur*; graviter scripsit S. Remigius.

Deinde dixit Christus Dominus illi languido ad piscinam, ut è lecto suo surgeret: *Surge*; atque hic secundus est passus, quem facere debes, ut ad obtinendam sanitatem propiùs accedas; nempe surgendum à periculosa illa conversatione, à noxiorum illorum librorum lectione, ab otio quo totos dies transigis, à sociorum illorum contubernio, qui lin-

linguam bis carnalem in ore recondunt, & usque adeò fœtidam, ut vel ipsum etiam aërem inficiat. Velle sanari, & non fugere hæc & similia alia concupiscentiæ incentiva, idem foret, ac velle sanitatem illæsam, & non velle exuere vestes pestifera lue infectas. Luxuria est quædam pestis; & ideo contra illam adhiberi præsentius remedium non potest, quàm separatio. Illæ cantelæ, quæ aliis temporibûs crudelitatem saperent, communis pestilentiæ tempore sunt quædam necessitas. Hoc nisi fiat, delicioſum objectum nostros ad se sensus attrahit; nec aliud quidquam, quàm præsentis voluptatis illecebras cogitare nos patitur; quemadmodum ille, qui mensæ assidet diverso ferculorum genere copiosè instructæ, ad nihil aliud, quàm ciborum delicias animum advertit, & facilè sui, quo jejunare statuerat, propositi oblivisciturr; quod neutiquam memoriâ excidisset, si mensæ frugali assedisset: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3. v. 27.

Tertiò jussit Dominus languidum illum, lectum suum levare, & humeris suis imponere: *Tolle grabatum tuum.* Grabatum hoc est corpus tuum, quod quidem animæ non ad capiendam in eo quietem, sed ad malorum suorum fomentum deservit; atque adeò Sanctæ mortificationis operibus coërcendum est, si in votis sit sanitatem recuperare. Occasio

est

est Mater, quæ luxuriam parturit; intemperantia verò est nutrix, quæ maledictam hanc prolem propinato lacte educat & sustentat. Refert S. Augustinus, multos suo tempore non solùm ex viris robustioribus, sed delicatoribus etiam puellis duos trésve dies jejunos exegisse; & hodie etiam diebus ab Ecclesiæ præscriptis vanis prætextibus à lege jejunij se passim eximunt; & siquidem aliquando huic se se præcepto subjiciunt, tantis suum jejunium gulæ cupedus permiscent, ut cum eodem S. Augustino dici queat: *Hoc non est suscipere abstinentiam; sed mutare luxuriam*: Istud profectò non est agere pœnitentiam, sed mutare voluptates; & irritare potiùs appetitum, quàm affligere. Unde mirum non est, si olim tot candidæ columbæ in Ecclesiæ vinea extiterint, quæ suo eandem nitore exornarent, quot hodie animalia immunda in ea reperiuntur, quæ eandem conspurcant ac vastant. Et perfectô, qua ratione ignis extinguatur, cui tot identidem ligna injiciuntur, quot sunt deliciæ, quas inter vita transigitur? Vis ut indomita concupiscentiæ bestia non recalcitret, & insatiabilem illius ventrem lectissimô constanter pabulô infarcis? Putásne, precioſum castitatis thesaurum custodire te posse absque eo, quòd corpus aliquo asperitatis genere castiges, cùm absque illius castigatione Apostolus cum omnibus suis sudoribus,

bus, cum omnibus ſuis peregrinationibus, cum omnibus ſuis prædicationibus, cum omnibus ſuis naufragiis, & cum omnibus Apoſtolatûs ſui laboribus ne quidem ſalvari ſe poſſe confideret? *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. Cor. 9. v. 26.* Magna itaque eſt luxurioſorum hominum ignorantia; primò quidem, quia ſibi perſuadent, quòd tam facilî negotiô pervenire ad æternam ſalutem valeant, per hoc nempe ſolum, ſi ſemel in anno peccatorum ſuorum numerum ineant, atque eorum ſummam ad pedes confeſſarij provoluti frigida eidem mente exponant; deinde verò, quia ſe aliquando fore caſtos exiſtimant, quin relaxationum ſuarum delicias, & effœminatæ vitæ commoda ſeponant! *Sapientia non invenitur in terra ſuaviter viventium. Job. 28. v. 13.* Ita Divina Sapientia nos docet. Quando herbas odoriferas aut naſci, aut creſcere in fœtidis paludibus inveneris, tunc quoque ſperare potes caſtitatem aliáque dona cœleſtia reperiri in animo, qui totus quantus inquirendis deliciis non dicam tantùm ſenſualibus, ſed etiam ſenſilibus inſudat. Statue igitur cum conſilio confeſſarij adhibere jejunium aliquod, abſtinentiam & corporis mortificationem, affligendô illûd, aut aliquam ſaltem eidem commoditatem ſubtrahendô, ut hac ratione

pre-

precioſiſſimum iſtud puritatis lilium quaſi ſepe includas, quod, niſi inter ſpinas inveniri non poteſt.

Ultimum denique hujus languidi ſanitatis complementum extitit, quòd Dominus ei dixerit, ut ambularet: *Ambula.* Id ipſum quoque tuæ erit ſanitatis complementum, facere progreſſum, & ulteriùs ſemper in via bona procedere. Ratio, ob quam ita facilè à propoſito deſciſcas, eſt iſta; quia nempe, cùm confiteris, vitare quidem peccata, non autem peragere opera bona ad evitandum relapſum neceſſaria proponis, his operibûs ad oppugnandos pravos habitus gratiam acquires magìs ſingularem, DEI inſuper protectionem magìs ſpecialem, qua contra illorum violentiam defendaris: id, quod ſequentibus verbis S. Mater Eccleſia nobis inſinuat: *Ut bonis operibus inhærentes, tua ſemper mereamur protectione defendi.* Statue itaque piæ cuidam congregationi adſcribi, de ſacro quodam libro tibi proſpice, bonum confeſſarium elige; ad Potentiſſimum divinæ Matris patrocinium confuge, præſtando eidem diebûs ſingulîs aliquod obſequium, aut Illius Officium aut Roſarium recitandô; ante omnia verò ſummopere tibi cordi ſit, Sanctiſſima Sacramenta frequentare; nam, ſicuti apes, eò quòd melle ſe nutriant, longè diutiùs, quàm reliqua inſecta vitam ſuam protrahunt; ita,

ſi

si sæpius isthoc cœlesti melle, Sacra nimirum Communione animam pascas, illud obtinebis: ut vitam nunquam interruptam vivas, nunc quidem vitam gratiæ; paulò pòst autem gloriæ sempiternæ. Atque hæc remedia si cautè ac diligenter adhibueris, integram Sanitatem recipies: Adeò ut gloriari de te quoque possit cœlestis Medicus verbis illis: *Totum hominem sanum feci.*

LECTIO IV.

DE IMPEDIMENTO,

Quod affert saluti superbia.

INter omnes febres periculosissima est febris maligna; utpote quæ inimicus est naturæ occultus simul & formidabilis. Ita quoque inter vitia omnia, quæ sunt animæ febres, periculosissimum est superbia; quia quò majus affert sua malignitate nocumentum, tantò magis est abscondita illi, qui eâdem est infectus. Cogitate, an ex mundanis reperire sit quenquam, qui conscientiæ sibi ducat, quòd superbiâ intumescat? usque adeò se vano tumore ingurgitant, ut eodem se etiam veluti coronare præsumant; unde jam dudum illis Isaias Propheta maledixit: *Væ coronæ superbiæ: ebriis Ephraim c. 28. v.* Credunt, quòd hoc sit alere generosos Spiritus; quòd

sit

sit nobilium partes adimplere, quòd sit sanguinem juxta, ac familiam honore afficere; nulli unquam cedere, se semper suáque sola super omnia extollere. Quapropter utilissima erit præsens lectio, si & hujus morbi malignitatem ob oculos ponet, & illo laborantibus opportunum remedium subministrabit.

Quid igitur est superbia, quam in præsentiarum condemnare aggredimur? est inordinatum propriæ excellentiæ desiderium, quo homo pluris se æstimat, quàm revera est, & ita quoque æstimari ab aliis desiderat. Proinde homo superbus nihil magni facit, nisi seipsum; nihil considerat præter seipsum, & araneæ in morem in telæ suæ centro se collocat, ac omnes suas cogitationes, quasi totidem fila ad se solum dirigit. Quodsi quos habeat suæ potestati subjectos, eandem in illos quasi in jumenta exercet; illos, qui non sunt subditi, tractat veluti mancipia; cum consanguineis agit, ac si ne quidem unquam novisset; cum civibus, quasi forent extranei: *famulis pro jumentis utitur, inquit Philo, ingenuis pro mancipiis, cognatis pro alienis, civibus pro externis. L. de Char.* verùm vivacioribûs adhuc coloribûs superbi hominis conditionem Divina nobis Scriptura depingit, ubi Regis Nabuchodonosoris sensus exponit. *In Aula Babylonis deambulabat: respondítque Rex & ait: nonne hæc est Babylon magna, quam ego*

ædificavi in Domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Dan. 4. v. 27. Isthæc superbi hujus Regis sua in Aula deambulatio, illam complacentiam denotat, quam quivis superbus habet de seipso: jactantiam illam de ingenij spi præstantia, de amœna cum aliis agendi dexteritate, de sua in loquendo facundia, de divitiis, de nobilitate, imò & de vestium elegantia de quibus insolentiùs, quàm pavo ob plumarum suarum pulchritudinem intumescit; *deambulabat in Aula.* Deinde postquam adeò semetipsum admiratus fuerat Nabuchodonosor, alia insuper illius animum admiratio subiit, nempe, cur non & alij quoque pari ratione se Regem admirabundi suspicerent; & ideò, quasi disputaret cum illis, absque eo, quòd interrogatus fuisset, respondit: an non mea est grandis hæc civitas Babylonia! an non talis est, cui similem nemo uspiam in toto Orbe reperiat! *Respondítque Rex, & ait: nonne hæc est Babylon magna?* ita prorsus homo superbus haud quaquam contentus est eo, quòd se ipsum æstimet; vult præterea æstimari & admirationi esse aliis omnibus, illósque inter adversarios numerat, qui admirari se se, & magni facere detrectant. Similî modô omne illud, quantumcunque sit exiguum, quod de qualicunque prærogativæ genere possidet, ipsi magnum videtur; quemadmodum somnian-

mnianti accidit, qui, si parùm aliquid phlegmatis gutturi adhæreat, integro mellis favô demulciri, & si paucæ sudoris stillæ ipsum humectent, totus submergi aquarum fluctibus sibi videtur. Verùm hìc nondum insaniæ finis: Nabuchodonosor non solummodo verum amplificat, verùm de illo etiam gloriatur, quòd manifestò falsum esse novit, cùm civitatem Babylonicam se ædificâsse affirmet; quam tantummodo ampliorem reddiderat, utpote jam dudum ab alio, nimirum Belo extructam. Simili prorsus ratione superbi factorum suorum narrationi non solùm multa grandia, & splendida, sed aperta insuper mendacia immiscent, utpote qui hunc illúmve à se devictum gloriabundi jactitant, cùm tamen ipsi victoriam cesserint, atque adeò suum opprobrium, in suæ laudis materiam convertere nituntur. Denique, quod ultimum Nabuchodonosoris stultitiæ complementum addidit, fuit istud, quòd grande hoc opus, quod somniârat, suæ fortitudini, imò fortitudini suæ fortitudinis, & gloriæ suæ gloriæ adscriberet: *quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Ita quoque superbi; tametsi non eò usque perveniant, ut speculativè suorum se bonorum authores reputent, quasi omnia ipsorum meritis debita, & non tanquam eleemosyna à Supremo Domino forent concessa, tametsi,

inquam, ad errorem hunc ſpeculativum non pertingant, (ſic enim forent hæretici) tamen in hunc ipſum practicè impingunt, cùm ſe ita æſtiment, ac ſi tales exiſterent, & ùt tales etiam tractari ab aliis deſiderent, unde, quamvìs non verbîs, ſaltem operibûs dicunt, quòd fortitudo ſuæ fortitudinis, hoc eſt, extraordinaria ſua induſtria totum effecerit: *in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.*

Sed enim, hoc totum potiùs ſuperbi hominis phreneſis, quàm grave Chriſtianæ animæ damnum tibi videbitur; ſed erras vehementer, ſi ita judicas.

DAMNUM,

Quod ſaluti affert ſuperbia.

NEmo damni, quod animæ infert ſuperbia, gravitatem ſatìs poteſt explicare. Ut aliquid ſaltem de illa dicamus, adverte, in hoc mundo malorum omnium ſummum eſſe peccatum; & bonorum omnium ſummum eſſe gratiam divinam. Jam verò ſuperbia ad omnes peccati ſpecies nos diſponit, & omnibus gratiæ ſpeciebus ſe opponit, & ideo, quonam alio majore nos afficere damno queat?

Igitur ad omnis generis ſcelera diſponit. Duplici modo ſuperbia cor noſtrum poteſt inficere, nimirum uſque adeò creſcendo, ut tol-

tollat ex illo omnem ſubjectionem DEO debitam, & in hoc caſu jam clarè pateſcit, quòd hominem in Dæmonem permutaret, forétque quemadmodum S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 6. appellat, peccatorum omnium graviſſimum. Aut poteſt etiam fieri, ut eò uſque illius malitia non aſcendat, utì ordinariè contingit; & in hoc caſu etiamſi ſit culpa tantum modò venialis, facilè tamen hominem in omnis generis flagitia præcipitat; illud enim evenire in praxi advertimus, quod fieri à ſerpente conſpicimus; qui ubi in locum aliquem capite intravit, cum toto poſtmodum reliquo corpore ſubſequitur; ita prorſus, ubi ſuperbiæ vitium hominis animum ingreſſum eſt, facilè, quidquid iniquitatis adhuc reliquum eſt, ſuccedit: hanc certè ob rationem Eccleſiaſticus, *initium*, inquit, *omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis. c. 20* & ſanè fateamur neceſſum eſt, hoc vitium eſſe majus, quàm omnia alia, cùm DEUS in iſtius pœnam & correctionem permittat, ut homo ſuperbiâ infectus in peccata alia labatur; ſecùs profectò haud quaquam DEUS boni medici partes impleret, qui ad curandum malum minus, malum majus permitteret. Illud autem veritati conſonum eſſe ex duplici peccatorum ſpecie deſumi poteſt, quæ mundum univerſum inficiunt, & ſunt hæreſis atque luxuria. Ad luxuriam quod

attinet, ſatis ſit dicere, quòd intolerabili Anti-Chriſti ſuperbiæ Propheta Daniel ſtatim laſciviæ inſolentiam ſubjungat: *DEUM Patrum ſuorum non reputabit:* ecce! ſuperbiſſimum! *& erit in concupiſcentiis fœminarum:* ecce luxurioſiſſimum! & quaſi in profunda impuritatis mephyti ſepultum; non enim tam impuritas in ipſo, quàm ipſe in impuriſſimo hoc cæno immerſus eſt totus, ut ſic nobis connexio, & quaſi conjunctio, detegeretur, quæ impuritatem inter & ſuperbiã intercedit.

Id ipſum de altero illo majore peccato ſentite, quod eſt hæreſis. Circumferte pauliſper oculos veſtros per orbem Chriſtianum, & tot, támque diverſas ſectas, quæ ſerpentum inſtar mutuis ſe ſe invicem morſibus lacerant, per eundem diſperſas contemplamini: jam ſcitote inquit S. Auguſtinus, quòd, licèt tam numeroſa, & adeò diverſimodè maculata ſit venenata iſthæc progenies, unam tamen eandémque Matrem agnoſcat, ſcilicet ſuperbiam. *Diverſis locis ſunt diverſæ hæreſes; ſed una mater ſuperbia omnes genuit. Lib. de Paſt.* A Simone Mago, qui primus fuerat hæreſiarcha, uſque ad Anti Chriſtum, qui erit ultimus, perluſtratis omnibus hiſtoriis, verius motivum non reperies, quod ad excogitandos tot impios errores eos impulit, quàm ſuperbam illam pertinaciam ac arrogantiam, qua contra Catholicam Eccleſiam inſurrexerunt.

Et

Et quid multis? tanta sibi invicem Christiana fides & superbia contrarietate opponuntur, ut eodem simul in animo nequaquam stare posse videantur. Unde incarnata DEI sapientia Pharisæis dixerat, quòd tribuendo sibi invicem humanam gloriam, eámque acceptando, incapaces se efficerent veræ fidei. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO est, non quæritis? Joan. 5.* Ex quibus verbis colligere licet, quòdsi acceptare solummodo vanam gloriam introducendæ in animam fidei obstaculum quasi insuperabile opponit; quantum denique eidem impedimentum objecturum sit, quærere hunc honorem in omnibus, & paratum esse conculcare DEI legem, perdere animam, subire infernum, ut ne vel unica hujus fumi mica amittatur, quemadmodum quotidie tot nobiles faciunt, parati semper ad offerendum, & acceptandum Duellum; quia secus si facerent, ùt ajunt, honoris sui jacturam paterentur.

Ecce igitur! ad quale præcipitium perducere te valeat superbia: primò omnis generis sordibûs totam animam opplebit; & deinde, quemadmodum à stomacho noxiis humoribus scatente sæpenumero capitis vertigines proveniunt; ita à conscientia sceleribus plena ejusmodi in fide vacillatio orietur, qua in dubium trahi incipiant ipsa fidei fundamenta,

& qua eò usque deveniri potest, ut cœlum simul & infernus merissima fabula reputetur. Hoc totum longè adhuc manifestiùs apparet, si quis illam contrarietatem consideret, qua superbia gratiæ opponitur. Scire enim oportet, quòd ex nobismetipsis ne tantum quidem virium habeamus, ùt vel unicam, quæ nostræ salutis initium existat, ducere cogitationem valeamus; sed necessarium omnino sit, ut ad illam concipiendam suâ nos gratiâ Divina Bonitas roboret, & confortet. Judica jam exinde, quàm necessaria futura sit hæc ipsa gratia ad salutis nostræ opus complendum, si illius assistentia ad formandam mente etiam tenuem delineationem ita indispensabiliter requiratur; si solis nostri arbitrij viribûs cogitare bonum non valeamus, qua tandem ratione his ipsis illud perficiemus, peccatum super omnia mala detestandô, & DEUM super omnia bona amandô, quod tamen facere ad salvandam animam est summè necessarium? Jam hoc gratiæ divinæ auxilium ad consequendam vitam æternam adeò necessarium aut negabit tibi divina justitia in pœnam superbiæ, aut tam parcè concedet, ut ad eidem cooperandum animum non inducas, & pœnitendi gratia aut omnino deerit, aut tibi in vita, vel etiam morte tam languidè assistet, ut tua pigritia optatum exinde reportare fructum non sciat. Bene proinde in-

intelligamus oportet hanc veritatem, gratiam nempe Christianam, gratiam esse humilitatis, non solùm, si illius principium, quod est sancta crux, per quam Christus JESUS humiliando se usque ad mortem tam grande nobis donum promeritus est; verùm etiam si illius effectus spectemus, qui omnes tendunt ad humiliandum hominem, ut DEO gloria tribuatur, ad humiliandum intellectum, ut in obsequium fidei, se captivet, ad humiliandam voluntatem, ut virtutibus reliquis locus paretur. Quapropter si spiritus tuus coram DEO humilis non fuerit, nunquam cœlestibus hisce divinæ gratiæ lymphis irrigabitur, quæ ab excelsis superborum montibus in subjectas humilium valles defluunt, eaedémque omnis boni affluentia fœcundant. Quæ Sancti Augustini doctrina est.

Hæc ipsa contrarietas superbiam inter & gratiam magis adhuc ex eo eluceſcit, quòd non modò donis cœlestibus aditum in animam præcludat, antequam illam subeant; verùm illa etiam expellat, postquam jam fuerant ingressa, ita, ut, qui paulò ante propter bonorum operum multitudinem, virtutúmque varietatem ditissimus erat coram DEO, si inordinatæ sui ipsius æstimationi locum concedat, ad extremam statim pauperiem redactus, miserrimus efficiatur. *Ille ego quondam opulentus, repentè contritus sum. Job. 16. v. 13.*

v. 13. Quemadmodum evenire columbæ conſpicimus, quæ, cùm ad ſolis radios ob ſuum candorem, & ſplendentem plumarum ſuarum varietatem ſeipſam ſuperbè circumſpicit, improvisò ſupervenientis accipitris unguibus in prædam cedit: *Gaudentem in ipſa gloria rapit. Plin. Lib. 10. c. 36.* Conſiderate, quidnam fuerit aliquando Græcia: celebre illud ſanctitatis, ſapientiæ, & fidei theatrum, in quo vel ipſa etiam deſerta hominibus ſanctis erant repleta! jam verò tota eſt mera infidelitas, mera ignorantia & impuritas; & iſtud quidem non aliam profectò ob rationem, quàm in pœnam ſuperbiæ, propter quam elegit DEUS potiùs tolerare populos illos ſpurciſſima Machometis lege, quàm ſuperbiâ contaminatos. Unde, ſi non omne in te rationis lumen extinctum eſt, Divini Spiritûs conſilium accipe, & executioni manda: *ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Noli unquam permittere, ut vel interius in corde aut deforis in operibus tuis tibi ſuperbia dominetur, quia ex maledicto hoc vitio omne ſemper, quod unquam mundum afflixit, tam culpæ, quàm pœnæ malum enatum eſt: *In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio Tob. 4.* in loco adeò lubrico, non alius lapſum devitandi modus ſupereſt, quàm ut humi jaceas. *Qui ſedet in terra, non habet, unde cadat.*

RE-

REMEDIUM

Quo ſuperbiæ malo medeamur.

VErùm, quodnam remedium inveniamus contra illud vitium, quod, quantò æquius primo intuitu videtur, ut longiſſimè abſit à paupertate noſtra, tantò firmiorem ob naturæ noſtræ corruptelam viſceribus noſtris ſedem fixit, ſimúlque pauperes nos efficit & ſuperbos, & follis luſorij inſtar, quantò magis omni bono vacuos, tantò magis tumidos. Hîc, quia ſuperbia foret omnium maxima, ſi quis propriis ſuis viribûs, ſuâ induſtriâ ſuam ſe curare poſſe ſuperbiam crederet, ea propter primum erit remedium ad DEUM recurrere, eundémque cum Davide humili animo rogare, ut impediat, ne unquam maledicta hæc peſtis in anima noſtra pedem figat; *Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Pſal. 35.* Dicitur ſuperbia unicum ſolummodo pedem habere: *Pes ſuperbiæ:* Quia eſt monſtrum; deinde, quia ſuperbus in ſe uno omnem fiduciam collocat, & totus ſibimetipſi innititur; denique, quia ſicut debili fulcro ſubnixus, facilè in omne aliud vitium prolabitur, ùt ſuprà oſtendimus: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Ecce, primum lapſum! Et ſi divino adjuti favore ex iſto reſur-

surgunt, à malo postmodum in pejus recidunt: *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

Secundum remedium est ipsam mali radicem tollere. Superbia partim intellectum inficit mundanorum, qui se magnifaciunt; partim voluntatem, qua magnifieri, & ideo honorari ab aliis desiderant; atque ad imitationem superbissimi illius Simonis Magi ipsi quoque jactitant: *Se esse aliquid magnum. Act. 8.* Superbiæ igitur malo ut medeamur, voluntatem simul & intellectum curemus necessum est. Jam, intellectus curatur, si commonstretur homini, quidnam sit ipse maximè coram DEO, & curia illius Cœlesti; & quidnam sit illa gloria, quam contra omnem justitiam vendicare sibi contendit.

Mundi gloria nihil est aliud, quàm fructus quidam vetitus, qui non nutrit hominem, sed venenô inficit. Supremus rerum Conditor DEUS fecit quandam veluti partitionem, & infinita benignitate hominibus omnium bonorum operum utilitatem concessit, omnem autem honorem sibi soli reservavit: *Gloria in Altissimis DEO, & in terra pax hominibus:* Atque adeò usurpare velle hanc gloriam soli DEO debitam, violatæ Divinæ Majestatis veluti crimen quoddam est, & quod proinde in gravissimum illius, qui tantum facinus attentat, damnum redundat: *Væ cùm benedixerint vobis homines! Luc. 6.* Væ illi, qui mun-

mundanum honorem mendicat, & magni fieri ab hominibus quærit; quia hoc consequi, grande pro illo infortunium. Ad detrimentum, quod hæc gloria secum affert, ipsius vanitas accedit. Vana namque est illa quinque saltem ex capitibus, quæ non abs re erit, si unum post alterum exponamus. Primò igitur vana est in seipsa, utpote, quæ nihil addere tibi potest, nihil demere; *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Jo. 8.* Inquiebat Christus Dominus ad Judæos, quo indicare voluit; si ego, in quantum sum homo, operum meorum gloriam, locò illius, quòd totam tribuerem DEO, mihi adscriberem, gloria mea nihil foret. Atque exinde jam conclude, quantò adhuc magis vana extitura sit illa gloria, ille applausus, quem alij homines procurare sibi adeò solicitè contendunt. Secundò est vana isthæc gloria ex parte illorum, qui eandem tibi attribuunt, qui, si te non nisi quoad speciem externam agnoscunt, quam aliam tibi accipere laudem possunt, quàm qualis sepulchro dealbato tribueretur, cujus quis titulos, & inscriptionem extolleret, quin interea ad putredinem interiùs stabulantem se reflecteret. Tertiò est vana mundi gloria, si locum consideremus, in quo ea confertur, & est humilis hæc nostra terra. Vel obiter istam cum cœlo compara; nonne deprehendes mundum hunc nostrum,

non

non nisi unius puncti magnitudinem adæquare? jam in hoc puncto illam regionem invenias, in qua gloriam quæris, quæ profectò puncto adhuc longè minor existet. Ex mille millionibus hominum, qui facilè totum globum terraqueum incolunt, vix centenos, qui te agnoscant, reperientur, & ex his centenis, vix decem numerari poterunt, qui revera ex corde te æstiment; Unde in angulo universi tam exiguo tanta aviditate hanc ipsam æstimationem quærere, quid tandem est aliud, quàm infantis instar cicindelam prætervolantem insequendò seipsum perdere! Quartò vana est humana gloria ratione temporis, quo durat. Tota nostra vita cum æternitate collata brevior est, quàm unicus arteriæ pulsus, quam unicus nictus oculi: & fieri jam queat, ut homo prudens ad consequendam hominum æstimationem momentaneam, manifesto se periculo exponat opprobrij sempiterni? Denique longè magis, quàm ullo alio ex capite vanus est mundanus honor, si res illas spectemus, quas mundus laudare & extollere solet. Æstimat te, si pulchro indutus vestitu incedis; Sed hic honor vestimento debetur & vermibus, qui illud elaborârunt. Et dein quantò nitidiùs, quàm tu splendidiúsque suis plumis exornatus pavo ingreditur, quantò amœnius flos campi sua varietate aspicientium oculis blanditur? æstimat te mundus propter no-

nobilitatem; ſed quodnam ad illam conſequendam meritum contuliſti? & ſanè, quantumcunque illa nobilitas bonum exiſtat, Majorum tuorum eſt meritum. Laudat te propter divitias; ſed DEUS noverit, quantæ in illis accumulandis commiſſæ ſint injuſtitiæ; & DEUS quoque jam noverit; quàm longè difficiliorem hæ tibi cœli viam efficiant, quam paupertas reddidiſſet. Laudibûs te effert propter pulchritudinem; ſed æquè ita laudare ob candorem poſſet acervum ſtercorum nivibûs coopertum. Ante omnia autem conſidera, in quem paucos intrà dies illa finem deſinat: *Cùm moreretur homo, hæreditabit ſerpentes & beſtias, & vermes. Eccl. 10. c. 13.* Sepulchrum aperi, & rei hujus veritatem oculis perſpicies.

Hac ratione honori larva detrahitur, qui, tametſi cor ex capitibus nihil ſit, tamen ſtultorum oculis ut bonum ſummum apparet. Et hic quidem eſt minor titulus, qui ſuperbi hominis faſtum deprimat; atque ideo, poſtquam jam conſideravimus, quidnam ſit humana gloria; ad conſiderandum, quidnam ſit homo, qui eam deſiderat, te accinge. Si iſtud ex Propheta quæras reſpondebit, omnem hominem, id eſt, non modò abjectum ruſticolam, qui ligone terram fodit, ſed quemvis ex maximis Regibus, qui mundo dominantur, ſi homo eſt, eſſe nihilum debilitate, & impotentia, ignorantia & malitia

ve-

veſtitum. *Univerſa vanitas, omnis homo vivens. Pſal. 30.* Et hæc eſt illa pompa, quacum quoad naturam tu quoque in Divinæ Majeſtatis conſpectu appares. Quòdſi autem vivis in peccato mortali conſtitutus, nihilum es ipſo nihilo pejus: divini honoris latro es, proditor infinitæ illius Majeſtatis, condemnatus ad ignem inferni, & ad reddendam in tormentis ſempiternis, quam ſupremo cœli Monarchæ denegâſti, ſubmiſſionem. Hæc eſt conditio, hic ſtatus, in quo te univerſa cœleſtis Aula conſiderat; & in hoc ſtatu multum à te peti videtur, ſi, ut ſis humilis, ut ſuperbam frontem demittas, totámque DEO ſuam gloriam relinquas, à te exigatur? tantúmne tibi erit animi, ut cum Immenſa illa Majeſtate te ſcompares, & ad defendendam ſuperbiam tuam illa DEI verba uſurpes: *gloriam meam alteri non dabo? Iſa. 42.* Gloriam aliquam, quæ verè tua ſit, monſtra, & poſtmodum tibi cauſam adjudicabo.

Poſtquam hac via intellectum errorem ſuum dedocuimus, ad curandam voluntatem tranſeamus oportet, ab hoc quoque ſuperbiam diſpellendo. Et iſtud obtinebimus, ſi præter illa damna, quæ ſuperiùs tanquam è ſuperbia prognata retulimus, illi ob oculos ponamus damnorum omnium poſſibilium longè maximum, quod eſt æternùm damnari. Tollenda itaque eſt tandem aliquando iſthæc in-

incantatio, quæ cor vestrum malè fascinatum retinet: intelligere tandem aliquando oportet; absque humilitate Christiano spes salutis non est: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 18.* Observa, quòd Christus Dominus illîs ipsîs terminîs, quibûs necessitatem pœnitentiæ atque baptismi declarat, necessitatem quoque humilitatis declaret: *nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis. Luc. 13. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum DEI. Jo. 3.* Quapropter, si una eadémque lingua Verbi Incarnati iisdem prorsus loquendi formulîs necessitatem unam sicut alteram, pœnitentiæ & baptismatis ex una, humilitatis ex parte altera nobis manifestat, dicamus necessum erit, æquè ad obtinendam æternam salutem Christianam humilitatem requiri, atque baptismus simul & pœnitentia requiratur. Atque istud quidem usque adeò est indubitatum, ut superbiam signum evidens reprobationis, humilitatem verò signum evidens prædestinationis Sancti esse pronuntient. *Evidentissimum reproborum signum est superbia*, inquit S. Gregorius, *& contrà humilitas electorum. L. 34 Mor. c. 22.* Atque adeò infernus plenus esse superbîs dici potest, quemadmodum Isaias Propheta nobis testatur, qui, ubi dixerat, in-

fernumfauces ſuas ſinè termino aperuiſſe, *aperuit os ſuum abſque ullo termino*, protinus ſubjungit: *& deſcendent fortes ejus, & ſublimes, gloriosique ejus ad eum. c. 14.* certum igitur eſt, ſuperbiam vexillum eſſe Luciferi: *ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*, & ideo, quemadmodum ille omnium reproborum eſt caput, ita hæc ſignum eſt omnium maximè viſibile æternæ reprobationis, ſimúlque impedimentum, quod omnium fortiſſimè noſtræ ſe ſe ſaluti opponit.

S. Lidwina à DEO mundo propoſita eſt tanquam miraculum patientiæ in lege gratiæ, quemadmodum olim propoſitus erat mundo Sanctus Job tanquam patientiæ miraculum in lege naturæ. Per triginta & octo annos paupere in lectulo decumbebat tantîs infirmitatibûs afflicta, ut viderentur ad eam excruciandam morbi omnes maximè ſibi invicem contrarij conſpirâſſe; Illa nihilominus tanta animi generoſitate, lætitiâ tantâ toleravit, ut undique ad iſtud prodigium videndum, & ſanctarum illius orationum auxilium obtinendum homines concurrerent. Iter alios, qui ad hanc Virginem confluxerant, fuit ſacerdos aliquis Canonicus, qui magnîs precibûs Sanctam obteſtabatur, eam ſibi à DEO gratiam obtineret, ut maximum, quod in animo ſuo reperiretur, ſalutis æternæ impedimentum aufferetur. Fecit Virgo, quòd rogata erat, ma-

magna devotione : & ecce! repentè Canonicus profunda vocis raucedine laborare incipit, qui ad illud usque tempus voce utebatur adeò singulari, ut ipse solus (ùt loqui solemus) chorum suo cantu dirigeret. Facilè ex hac metamorphosi advertit; quòd, cùm in voce sua adeò suavi nimiùm sibi complaceret, vana hac complacentia grande obtinendæ suæ saluti obstaculum poneret. Ex hac historia salutaria documenta deprome, & considera, quòd si vanitas primo intuitu vix non innocens adeò impeditam atque difficilem salutis viam huic sacerdoti reddiderit; quantò magis difficilem effecturus sit fastus mundanus, & diabolica illa superbia, qua tantus mortalium numerus eò usque progreditur, ut de peccatis etiam glorientur, non timere excommunicationes sibi honori ducant, illósque, qui peccare pertimescunt, tanquam simplices contemnant, & probrosîs dicteriîs lacessant? Adeóque, si sapis, ad te ipsum mentis oculos reflecte, & interiora simul ac exteriora solertî oculô perlustra, & si quoddam in iis superbiæ vestigium reperias, sinè mora exinde penitus extermina. Noli contemnere quemquam, quis enim scit, an non ille, qui modò peccator est, paulò pòst sicut bonus latro ex hac vita sanctus emigraturus sit; tu verò si nunc bonus sis, tandem cum Juda exitu infelice vitam finiturus. Cave, ne pauperes, atque famu-

los duriùs habeas. Pauperes perſonam Chriſti repræſentant; famuli verò forſitan in noviſſimo die judices tui, aut in cœleſti gloria longè te ſuperiores futuri ſunt. Noli ſtolidè de tua tibi nobilitate de ingenio, & multò minùs de bonis operibus complacere. Modicum illud, quod habes tuum non eſt; & tametſi etiam tuum foret, adeò eſt exiguum, tótque malis commixtum, ut propterea cryſtas attollere, idem foret, ac ſi nigerrimus Ethyops pro miraculo albedinis ſe venditaret, eò quòd albicantes poſt labia dentes reconderet. Noli te ipſum encomiis ornare; nec prima ubivis ſubſellia prenſare: noli nimiùm tuis viribus confidere; neque omnibus te gravioribus negotiis immiſce, quia, quod hominum oculis altum & ſublime apparet, abominabile eſt coram DEO. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante DEUM. Luc. 16. c. 15.* uno verbo, omnem aliam culpam in animo tuo patientiùs tolerabit DEUS, quàm ſuperbiam, utpote contra quam offenſivè & defenſivè, ita ut dicam, tota fortitudine potentiæ ſuæ præliatur. *DEUS ſuperbis reſiſtit. Jacob. 4.* Et hoc quidem usque adeò, ut majorem timendi cauſam habeat juſtus ſuperbus, quàm peccator humilis: *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. Prov. 26.* Et quoniam hæc primo intuitu peregrina tibi videbuntur, eandem ad coërcendam ſuperbiam methodum

uſur-

usurpa, quam adhibendam esse ajunt, ut ferociens taurus mansuescat, quem ideò longo tempore ficui alligatum retinent. Alliga cor tuum adeò superbum Sanctissimæ Cruci Domini Nostri JESU Christi; lege, & diu multúmque, quæ Amabilissimus Servator sua in Passione subiit, opprobria & humiliationes meditare, & hac ratione minùs difficile tibi erit, cervicem submittere. Quòd si autem statûs tui conditio exigat, ut nobiliore vestitu incedas, aliàsque excellentiæ prærogativas ostendas in publico, hæc ipsa necessitas horrori tibi erit, faciétque, ut humiliorem conditionem aliis invideas, eo animi sensu, quo sancta Regina Esther protestabatur, quòd coronam suo capiti impositam cum aversione cordis, & ex mera necessitate portaret; unde ad DEUM ajebat: *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ. Esther. 14.*

LECTIO V.

DE IMPEDIMENTO,

Quod saluti affertur ab otio, & occupationibus superfluis.

DUo animalium genera olim in antiqua lege declarata fuerunt immunda: illa, quæ pedibus carebat; & illa, quæ nimium

multos habebant : quasi, ùt aliqui meditantur, insinuare nobis DEUS voluisset, duo hominum genera sibi placere non posse, illos nempe qui culpabili otiô absque ulla honesta occupatione marcescunt; & illos, qui nimiùm laborare volentes, cor suum mille negotiis implicant. Utrumque igitur, magnum est salutis consequendæ impedimentum, atque adeò de utroque necessarium est, ut hîc aliquid dicamus, ostendendô damnum, quod infert animæ, & methodum adhibendi remedium.

Quòdnam majus multorum Christianorum est negotium, quam otio indulgere? obambulare plateas, miscere sermones de inutilibus novis, prætereuntium mores & actiones, vestimenta & gressus carpere ; intrare templum, quia nescitur, qua via alia tempus fallatur; illi se præ reliquis obligatum profiteri, qui magis inutiliter diem transigendi modum suggesserit, quam tum lucratos se esse existimant, quando eandem absque eo, quod advertant, penitus deperdunt. E contrario videbis alios, qui tantô se se occupationum cumulô onerant, ut iisdem corporis vires atterant, spiritum opprimant, & quandoque vitam abbrevient, quin interea suæ animæ vel modicam quietem indulgeant. Jam, etiamsi utrumque hoc vitium adeò sit frequens apud Christianos, quotusquisque tamen est, qui dam-

damnum consideret, quod nostræ salutis negotium exinde patiatur?

DAMNUM,

Quod afferunt animæ hæc duo impedimenta.

SI de otio loquamur, Spiritus Sanctus paucîs syllabîs totum exprimit: *multam malitiam docuit otiositas. Eccl. 33. v. 29.* vita otiosa ad omne genus malitiæ homines informavit; ita, ut vocabulum *multam* idem significet, ac si dixisset, *omnem.* Fingite proin, dæmonem in hoc mundo malitiæ scholam aperuisse, cúmque videret, tot lectionibus uno eodémque tempore in hac schola tradendis se non sufficere, otium tanquam magistrum secundarium substituisse, quo adjuvante intentum perficeret. In hac igitur schola omnia flagitia docentur, & addiscuntur sine labore, & addiscuntur à quolibet; quò enim quis est ineptior, eò aptior hìc discipulus agnoscitur ad faciendum profectum *multam malitiam docuit otiositas.* Hìc discitur peccare cogitationibûs; desiderare scilicet corde, quod mandari effectui opere non potest: *desideria occidunt pigrum: tota die concupiscit & desiderat. Prov. 21. v. 25.* Aliquando scelus facto non exequitur; eò quòd ad illius executionem quædam molestia requiratur; locò hujus autem

tem plenas desideriis suis habenas relaxat; ut sinè ullo labore quaquaversum per diem totum discurrant. Atque ideo, si solæ cogitationes vanæ tantô animam malô afficiant, ut Propheta propterea totus cohorrescat, *Væ! qui cogitatis inutile! Mich. 2. v. 1.* judicate, quantum illatura sit malum integra pravorum desideriorum turma, quæ continuò otiosorum corda pererrat? cogitationibus verba succedunt & murmurationes; otiosus enim quò magis est incurius in rebus propriis; eò curiosior est in pervestigandis factis alienis: & quò majorem sentit in operando difficultatem, eò majorem habet facilitatem in loquendo, utpote, quod absque labore absolvitur: unde totum illius negotium est aliorum famam arrodere, & cum hoc diem concludit: *hoc opus eorum, qui detrahunt mihi. Psalm. 108.* Quòdsi aliquando à murmurationibus cessent otiosi, ideo faciunt, ut sermones obscœnos interserant, qui tandem Christiani hominis linguam Dœmoni consecrant, quæ tamen ex omnibus nostris membris primum extitit, quod supremo Numini sacri Baptismatis sale dedicaretur, & quæ sæpissime Divinæ Eucharistiæ contactu honoratur. Nihilominus hanc tam malè otiosi impendunt. Neque tamen hoc multùm curant, quia has linguæ suæ spurcitias acutis, æquivocisque loquendi formulis cooperiunt, id

est,

eſt, audientibus venenum in cratere melle oppleto offerunt, illúdque in ſui obtendere excuſationem contendunt, quo longè adhuc magìs reos ſe reddunt. Quisquis proinde inimicus eſt laboris, neceſſe eſt, ut ſit amans deliciarum, & quòd propterea non ſit contentus, niſi iisdem indiſcriminatim ſive licitæ ſint ſive illicitæ, perfruatur; unde illud contingit juxta antiquum proverbium, quòd nempe nihil facere, ſecum trahat omne malum facere: *nihil agendo diſcunt homines malè facere.* Aqua, quæ ſtagnat, brevì computreſcit; aër, qui non movetur, brevì inficitur; otioſus exercitus brevì inteſtinas ad turbas concitatur: & quemadmodum otium quinque iniquis civitatibus, teſte Ezechiele Propheta, omnia flagitia ſuggeſſit: ita eodem modò Chriſtianis ſuggerit, ſimúlque eos uſque adeò effœminatos efficit, ut ad primam virtutis difficultatem deſpondeant animum, ad primam tentationem arma abjiciant: & Leones timent non modò in ſylvis, ubi habitant, verùm etiam in plateis, ubi nunquam reperiuntur: *Leo eſt foris: in medio platearum occidendus ſum. Prov. 22. v. 13.* Id eſt, timent ficta pericula, & inanes umbras horreſcunt. Si S. Mater Eccleſia jejunium imperat, absque mora ad impetrandam diſpenſationem feſtinant; ſi confeſſarius pœnitentiam injungit vel parùm auſteram, aut

acceptare renuunt, aut peragere omittunt; uno verbo, eo in ſtatu ſuam animam collocant, quem unicè hoſtis infernalis deſiderat, ut ſtabilem in illa ſuam figere ſedem valeat. *Invenit vacantem, & aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum, nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Matth. 12.*

Verùm ſi tot malorum ferax eſt otium, haud quaquam ſanè ſteriles, aut pauciorum feraces erunt occupationes ſuperfluæ. Hæ ſunt illæ ſpinæ, quæ, uti æterna Veritas teſtatur, divinarum inſpirationum ſementem ſuffocant, quia ut ne aliquid boni fiat, aut omnino impediunt, aut ſaltem ut malè fiat, efficiunt. Si adeunda eſt Congregatio, ſi audienda concio, ſi legendus liber ſpiritualis, ſi frequentanda Sacra Myſteria, nunquam ad iſta tempus ſuppetit: unum negotium alteri ſuccedit, nec ex uno ſe ſe extricandi modus reperitur, quin quis ſimul alteri implicetur; ſicuti funis plurimis nodis illigatus, explicari nullatenus poteſt. Et hac tandem arte diabolus ſua ſub tyrannide illos continet, qui quidem illius aliquando effugere manus optarent, nullam autem ex illis elabendi viam inveniunt: illud ipſum namque cum iſtis veterator ſtygius facit, quod olim Iſraëlitis, quando de ſuo, ut ſupremo Numini in deſerto ſacrificarent, ex ægypto abitu tractabant, Rex Pharao fecerat; qui novis eosdem, & majo-

joribûs laboribûs ita oneravit, ut ne quidem bonum cogitandi, nedum opere ipso perficiendi tempus haberent. Similem omnino in modum temporales solicitudines, negotia, & occupationes tot fiunt laquei, qui hos miseros fortissimo nexu terræ alligant, illorúm. que cor, sicut hedera mille ramusculis arborem, complectentes omne exinde devotionis alimentum exsugunt, eóque tandem deducunt, ut fine tanquam mediô utantur, & mediîs tanquam fine fruantur; atque adeò verissimum fiat illud Magni Augustin effatum, quo dixit: *utuntur DEO, fruuntur mundô. L. 11. c. 25. de Civi. DEI.*

Ubi autem occupationes superfluæ tot defectuum causa non existunt, nec ita sibi tempus omne vendicant, ut nihil omnino istius ad agendum bonum relinquant, tamen hoc ipsum bonum non alitet peragitur, quàm malè, venatores, etiam quando dormiunt, non quiescere videntur, utpote qui aut feras diffugientes, aut alias appropiantes somniant, ita ut corpus quidem in lecto recumbat, phantasia verò per sylvarum avia, deviáque divagetur. Idem omnino ad tam varia distractis evenit: si Sacrosancto adstant Missæ Sacrificio, si sacræ Concioni interfunt, si quandam subinde orationem recitant, perpetuò vagatur animus distractus aut per hanc, quæ ad faciendum lucrum se offert occasionem, aut

per

per illam quæ elabitur; corpus equidem eſt in Eccleſia; animus verò per plateas ſpatiatur. Et creditis forſan, DEUM vobis in hoc tumultu ſanctîs ſuîs inſpirationibûs locuturum? quando vos amicorum alicui felicem rei cujusdam ſucceſſum enarratis, niſi utraque vobis aure attendat, vel ſi tum colloqui cum alio incipiat, non veſtram modò narrationem, ſed vel ipſa etiam verba abrumpitis: & exſpectare audetis, DEUM vobis loqui ad cor perſeveraturum, ſi centum occupationibus referti ad omnia potiùs alia, quàm ad ipſius vocem attendatis? *ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* Eccl. 32. v. 3.

REMEDIUM

Ad curandum utrumque hoc impedimentum.

PRo utroque hoc vitio otioſitatis & occupationum ſuperfluarum, remedium eſt, precibûs à DEO impetrare lumen, quo illuſtrante illum, ad quem conditus atque in hoc mundo poſitus es, finem agnoſcas, qui non eſt alius, quàm cum conceſſa tibi à DEO gratia, quaſi in quibusdam nundinis negotiari: *negotiamini, dum venio. Luc. 19. v. 13.* Quænam igitur iſthæc tandem ſunt tenebræ, credere, te ideo hunc in mundum veniſſe, vel ut absque labore, languido in otio præſens tempus diſperdas, vel ut fortunam tuam ac fa-

familiam mille artibus amplifices? ſummè proinde neceſſarium eſt, ſupplicibûs votîs DEO te commendes, ut cœleſti lumine illuſtratus finem tuum intelligas *notum fac mihi Domine finem meum. Pſalm. 38.* Et Beatum te! ſi DEUS preces tuas axaudiat; & væ tibi! ſi easdem rejiciat: intrà dies perpaucos poſt brevem fallacis otij ſomnum, vacuîs manibûs evigilabis: *cùm dormierit, aperiet oculos, & nihil inveniet. Job. 27. v. 19.* Si in alium finem, quàm ad animæ ſalutem multîs occupationibûs vires conſumpſeris, illi planè ſimilis eris, qui in circulo ambulat; nam abſolutò totius vitæ curriculô, ne unum quidem pro æternitate feciſſe paſſum te videbis *in circuitu impij ambulant. Pſalm. 11.*

Alterum remedium eſt ad ponderandum temporis valorem ſeriò animum applicare; *Quis eſt, qui pretium temporis ponat?* Dicebat Seneca, & utpote gentilis, tam parùm intelligebat de natura, omnino nihil de gratia. Profectò, ſi conjuncta omnium, quotquot in mundo invenire eſt, oratorum facundia in eo deſudaret, ut hujus theſauri, temporis nimirum pretium explicaret, quid aliud poſſent, quàm cum infantibus balbutire? Imò etiam, ſi omnes Angelici Spiritus linguas ſuas cœleſtes ad id negotij impenderent, ne iſti quidem dicere omnia valerent; cùm tempus, quod divina Bonitas nobis ad lucrandum

dum cœlum concedit, tantum valere dici poſſit, quantum valet ipſe Paradyſus. Quid ampliùs? Si beati in bonorum ſuorum plenitudine aliquod nobis bonum poſſent invidere, non aliud certè, quàm tempus invidere-rent; &, ſi dœmonibus ſtatim poſt patratum ſuum peccatum indultum fuiſſet illius vel momentum unicum, quo ſalutari dolore ſuam delere culpam potuiſſent, jam ne quidem unicum infernus dœmonem haberet. Jam verò quem in finem credis, DEUM tam magnam incomparabilis hujus theſauri, temporis nimirum, partem tibi conceſſiſſe, præcipuè poſtquam tot peccatis eum ad juſtam iracundiam provocâſti? prima vice, qua Legi Divinæ rebellis contra Illius Majeſtatem impio auſu inſurrexiſti meritus fuiſſes, ut in ipſo flagitio comprehenſum in momento, ùt olim rebellibus Angelis fecerat, in orci abyſſum te præcipitaret. Verùm enimverò, *dedit ei DEUS locum pœnitentiæ Job 24. v. 23.* Divina Bonitas non per pauca ſolummodo momenta, ſed per longum complurium annorum decurſum continuatum pœnitentiæ ſpatium conceſſit. O! quàm inſigne hoc tandem donum extitit! at verò, quem in finem tibi conceſſum? certè non in alium, niſi ut de errore tuo agere pœnitentiam, eundem eluere lachrymis, & bonîs reſarcire operibûs poſſis; *Dedit ei locum pœnitentiæ.* Ajunt Medici,

ci, illum, qui venenum biberit, à nulla re alia magis, quàm à somno cavere sibi debere: *Qui venena hauserunt, somnô privandi. Galen. l. de antid.* Et tu, qui non solummodo stillas aliquot, sed venenatum Babilonicæ meretricis poculum totum exhausisti stertendo in otio, quod adeò saluti tuæ præjudicat, totum tempus transigis? Et si scelerum tuorum summam aliquando confessario aperuisti non major ampliùs animum tuum illorum cura remordet, quàm si nunquam à te commissa fuissent. Hoc profectò est in vanum accipere animam seu vitam suam, ut inquit Propheta Psal 23. Hoc est esse inutilem super terram (Psalm. 13.) hoc est non tantummodo esse stultum, sed omnino stultissimum: *Qui sectatur otium, stultissimus est. Prov. 12.* Potéstne major reperiri dementia, quàm thesaurum, qui æstimari non potest, tam incuriô levíque animo abjicere? An forsan isthanc commoditatem semper duraturam existimas? *Paululum dormies, paululum dormitabis, & veniet tibi pauperies, quasi vir armatus. Prov. 6.* Pars una vitæ profundè in utramque aurem dormiendô, nempe malè vivendô pessumdatur; pars altera dormitandô, nempe nihil boni faciendô negligitur; & ecce! subitò nil tale exspectanti, velut homo armis invincibilibus obarmatus, mors supervenit, & omni te tempore spoliatum eò usque

que paupertatis redigit, ut vel unicum illius momentum instar pauperis eleemosynam mendicare necesse habeas, & ne hoc quidem obtinebis. Legimus de nobili quodam viro, qui multîs annîs Francisco Primo Franciæ Regi fuerat à secretis, quòd ad mortis deductus confinia præteritam vitam amarissimè planxerit, nihilque admittens solatij jam emortua pene voce identidem exclamârit: An possibile est, quòd tantum temporis invenerim, ut expediendô Regis mei nomine litteras centum papyri scapos consumerem; & tantum otij non repererim, ut scribendô confessionem generalem vel medium folium implerem quo animæ meæ salutem magìs in tuto reponerem! *In similia*, & adhuc magìs probrosa lamenta sub vitæ finem tibi quoque erumpendum erit, si tot annos nihil agendô transegeris & ne quidem exiguam indulti temporis partem eum in finem impenderis, ut animam tuam securo in statu colloces. Agedum igitur, expergiscere tandem ab hoc somno usque adeò noxio, & illud facito, quòd facere viator assolet, qui, ubi è somno, cui sub amœna cujusdam arboris umbra indulserat, expergefactus socios suos magnum interea viæ spatium emensos multùm præcessisse advertit, passus duplicat, eosdémque rursum assequi toto anhelitu contendit. Tantum temporis jam perdidisti; nunc illud re-

cu-

cuperandi ſpatium & copia præſtò eſt: *Non quaſi inſipientes, ſed ùt ſapientes, redimentes tempus; quoniam dies mali ſunt. Eccl. 5. v 16.* Tempus quod ibi ſupereſt, incertum eſt, & ſemper erit breve; unde ſi ſapis tam precioſæ mercis reliquias veluti è naufragio ſtudioſè collige, & illud quod tibi ſupererit, noli denuo adeò leviter in profundum projicere Ut autem ad praxin veniamus, cum conſilio Patris Spiritualis tuas impoſterum occupationes quas diebûs ſingulîs, ſingulîs ſeptimanîs, menſibus, annîs ſingulîs perficias, diſponito. Statue e. g. quæ quotidie pia devotionis opera peragenda e. g. recitare officium Sanctiſſimæ Virginis; adeſſe tremendo Miſſæ Sacrificio; legere librum quendam ſpiritualem; dare aliquid eleemoſynæ; nunquam exire domo, quin Sanctiſſimum Sacramentum, aut Aram Divinæ Matris viſites? præſtare obſequium quoddam SS. Patronis, præcipuè verò Angelo tuo cuſtodi, & S. Joſepho pro felici mortis hora impetranda. Singulis ſeptimanîs die feſto ſemper aliquid conſuetis tuis devotionibus adjungere: intereſſe concioni, recitare intra ſeptimanam Roſarium, in honorem Paſſionis Dominicæ die Veneris, aut die Sabbati in honorem Precioſiſſimæ Matris ab aliquo cibo abſtinere. Singulîs menſibûs ſaltem ſemel ſacræ Menſæ accumbere; & ſi fortè infeliciſſimo caſu in grave peccatum pro-

lapsus esses, etiam ante illud tempus ad Sacrum tribunal festina; ex omnibus námque stultitiis, quibûs laborare peccator potest, summa est, credere infernum, & vel per momentum unicum in peccato vivere, hoc est, in extremo margine tam horrendi præcipitij. Denique consultissimum est, quolibet annô computatîs diligenter ab ultimò peracta ad præsens usque tempus commissis peccatîs, confessione generali animam expiare, omniáque tum temporalia, tum spiritualia negotia ita exactè componere, ut mors, etsi etiam improvisò adveniat, paratum offendat. Beatum te! si cum Sancto Job dicere poteris: *Cunctîs diebûs, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea: vocabis me, & ego respondebo tibi. Job. 14 v. 14.*

Hoc totum, quod hactenus expendimus, mederi quoque poterit illi vitio, quo quis totus in superfluas occupationes effunditur; inter otiosum enim, & nimiùm occupatum istud solum discrimen intercedit, quòd unus sui temporis divitias stultè abjiciat; alter verò easdem in res nullius momenti, & ita loquendo ad struendas aranearum telas expendat. *Occupationes puerorum vocantur nugæ, majorum nugæ vocantur negotia. Aug. l. 1. conf. c. 9.* tu puerorum occupationes nugas vocas. Angeli cœlestes etiam grandia tua negotia nugas appellant. Verùm, qui superfluis immersus ne-

negotiis vivit, præter istud remedium, tres insuper excessus consideret oportet, quæ in illius occupationibus reperiri possunt, eosdémque ex animo tollat. Primus excessus est in harum ipsarum occupationum quantitate; secundus in qualitate; tertius in fine.

Primò igitur fieri potest, ut Propheta de tuis quoque negotiis dicere queat, quòd sua multitudine numerum stellarum excedant: *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cœli. Nahum. 3. v. 16.* necessarium proinde est, tuas occupationes ut diminuas, si divinæ gratiæ parare locum, atque per illam illuminari desideras: *qui minoratur actu, sapientiam percipiet. Eccl. 38. v. 25.* Non dicit Spiritus Sanctus, ad hoc, ut vera sapientia quæ in DEI, & bonorum juxta, & malorum æternorum cognitione consistit, acquiratur, omne occupationum genus esse seponendum; sed dicit solummodo, quòd minuendæ sint, *qui minoratur actu.* Decipitur profectò, qui existimat, quòd status nobilium, & divitum à laborandi obligatione hominem eximat. Ipsum etiam cœlum Empyreum suum in res inferiores influxum præstat, quia decens non est, ut ulla in toto universo creatura penitus otiosa inveniatur; ex altera verò parte, quænam illa est aliquorum prudentia, qui, ultrà quàm ipsorum vires patiuntur, se negotiis onerant? qua demum ratione sic mente

ſimul & corde levari ad cœlum poſſunt? ſi fonti in varios rivulos diviſo viam per plana aperias, quomodo deſideras, ut in altum profiliat, fiátque *fons aquæ ſalientis in vitam æternam?* Si ipſæ etiam occupationes Sancto. rum moderatè ſunt aſſumendæ, ut ne forſan, qui cuſtodire alterum laborat, ſeipſum negligat: *poſuerunt me cuſtodem in vineis; vineam meam non cuſtodivi. Cant. 1. v. 5.* judica, quòd cum moderamine aſſumere negotia temporalia oporteat. Si fortè Procuratorem tuum de moleſta, quam in judicio habes, lite cum ipſo tractaturus accedas, triſtaris, ſi aliîs litigantium partibûs ejusdem obſideri fores videas; quia nempe times, ne, cùm tot ſimul cauſis attendat, ventilandi tuam, eundem & facultas & tempus deſtituat. O! quantò majorem triſtandi cauſam habet anima tua, cùm mentem tuam tot cogitationibûs, tot negotiîs occupatam conſiderat? ſi videt, à te devotionis opera ad reliquarum occupationum finem reſervari, nec ad eas niſi perfunctoriè peragendas tibi ſpatium ſuppetere? quantum itineris conficere navis poterit, tanto pondere onerata? ſed forſitan excuſare errorem tuum contendis, tuásque occupationes non eſſe malas aſſeverabis? verùm iſtud non ſufficit, ſi ſunt nimiæ. Multæ ex noſtris infirmitatibus non ex corruptione, ſed abundantia ſanguinis oriuntur; hæc námque fa-

facit, ut debita illius per venas ac membra circulatio, & neceſſarium cordis refrigerium impediatur. Obſerva proin, quænam ex occupationibus tuis ſint minùs neceſſariæ, & harum ipſarum partem, aut in cujusdam Socij, aut domeſtici, aut conſanguinei humeros transfer, ſequere conſilium, Moyſi aliàs tam ſapienti & legislatori & Duci tam magni populi ab Jethro ſuggeſtum: *Ultra vires tuas eſt hoc negotium; ſolus illud ſuſtinere non poteris: ſtulto labore conſumeris. Exod. 18.* neque hora tibi ſupereſt, quam quieti concedas, ſemper inter ſpinas hæſitas: araneæ inſtar temetipſum eviſceras, & ſicut illa, ad inanem telam pertexendam multos oculos aperis: præmium unius laboris, eſt labor alius priore major; confecti unius laboris merces eſt timor, ne fortè quemdam alium non perficias: *ſtulto labore conſumeris.*

Multò igitur adhuc veſanior eſſet alter exceſſus in qualitate occupationum. Multa ſunt negotia, inquit S. Gregorius, quæ tractari absque peccato vix poſſunt: *Sunt pleraque negotia, quæ ſinè peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Hom. 22. in Evang.* Atque ideo, quanta eſt ſtultitia, hujusmodi ſe ſe negotiis implicare? pejus profectò hoc foret, quàm ſi ad lucrandum pileum ipſum caput diſcrimini objiceretur: Præcipuè, cùm implicare ſe rei cum peccandi periculo conne-

xæ; non ratò fit ſeſe implicare longæ catenæ multorum peccatorum. Qui negotium ſemel aggreſſus eſt, & veluti navim conſcendit, ad præfixum portum prevenire omnibûs modîs contendit, & ſi media licita ſufficientem efficaciam non habent, etiam illicita applicantur, & ſi viæ directæ ad deſideratum non perducunt, etiam obliquæ eliguntur: Si ex lite reportari quæſita victoria non poteſt, eò uſque protrahitur, donec adverſarius ob pecuniæ defectum eandem proſequi deſiſtat: ſi teſtimonia vera non ſuppetunt, falſa conquiruntur: ſi judex allatas rationes in favorem tuum non intelligat, donis & muneribus in partes tuas inflectitur; & quia uno oculo terra ſimul & cœlum eodem tempore aſpici non poſſunt, oculus terræ affigitur, & cœlum non conſideratur.

Denique ultimus occupationum exceſſus eſt in fine. Vera negotia ſunt illa, quæ ſunt ſanctificata Domino: *Et erunt negotiationes ejus ſanctificatæ Domino. Iſ. 23. v. 13.* Id, quod tunc contingit, ubi iisdem charitas & juſtitia tanquam ſcopus præfigitur. Quapropter, quemadmodum pictores omnia ſua opera à capite incipiunt, atque ab hoc omnes totius imaginis menſuras, ac proportiones deſumunt; ita tibi quoque faciendum: Ante omnia ſemper præ oculis anima & DEUS verſetur: *Quærite primùm regnum DEI, & juſtitiam*

tiam ejus. Matt. 6. Et bene semper tua negotia succedent; quia si temporalia non obtinebis, æterna consequêris, meliúsque tibi eveniet, quàm Saulo, qui dum, ut voluntati Patris obediret, asinas quæreret, non asinas, sed regnum invenit. Cogita semper, quòd unum solummodo in hac vita negotium habeas, quod negotij nomen promeretur, quod est salvare animam. Huic te totum ita impendas necessum est, ut reliqua omnia tanquam nihilum reputes, quemadmodum in emolumentum nostrum Apostolus nos obtestatur: *Rogamus vos, ut operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis. 1. Thes. 4.* Beatum te, si istud negotium feliciter succedat! infeliciſſimum! si malè tractetur, etiamsi tuâ interim industriâ totius mundi Dominium aquireres! *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Luc. 8.*

LECTIO VI.

DE IMPEDIMENTO,

Quod saluti animæ affert inordinatus amor voluptatum.

EX illiciis suavioribus, ex violentiis amabilioribus, ex catenis gravioribus, quæ cor humanum abripiunt, sunt illæ, quas blan-

da eidem voluptas injicit. Quanta igitur veritatis efficacia requiritur, ut, noxium esse demonstretur, quod tantopere placet? Et tamen ita est: si dæmon toxicum suum absynthiô permixtum nobis offerret, utique qui biberent, non reperiret; at verò, cùm sub melle absconditum porrigat, infinitus propemodum stultorum illorum est numerus, qui ad illius poculum concurrunt; paucísque illis, quæ veneno supernatant, dulcedinis guttulîs illecti, mortem ridente ore imbibunt. Explicemus igitur, quantum animæ nocumentum afferat isthæc delicias procurandi aviditas, & eidem remedium præscribamus.

Non loquor jam de monstrosa illa voluptatum sitî, quæ usque adeò mundum dementat, ut eas in sordidissimis etiam luxuriæ cloacis piscari non erubescat. Perversitas hæc est, quæ seipsam satìs manifestat, & nemo non videt, quòd, cùm peccatum luxuriæ sit illud, quod mentis nostræ oculos omnium maximè excæcat, nostrúmque cor omnium arctissimè rebus præsentibus alligat, illud quoque sit, quod omnium frequentissimè animæ nostræ salutem impedit; unde verissimum esse apparet illud, quod jam alibi audivisti, S. Remigij effatum, nimirum exceptis parvulis, propter hoc vitium, paucos ad paradysi gloriam pertingere. *Exceptîs parvulîs, propter carnis vitium ex adultis pauci salvantur.* Impedi-

dimentum, quod in præsenti lectione monstrandum tibi atque à te removendum suscepi, est tenor vitæ mundanorum, pro quibus lex illa adeò universalis non videtur esse promulgata: *homo natus ad laborem. Job. 5. v. 7* Postquam super molliſſimas plumas dormiendo magnam diei partem consumpserunt, quod reliquum est, conviviis, conversationibus, visitationibus, musicæ, lusui, comœdiis, tripudiis, transcribunt, solicitè semper, quidquid deliciarum varia anni tempora variè illis offerunt, conquirentes. Nihilominus hæc vita tot deliciis, tanto luxu, tanta vanitate, tot novis & semper studioſiùs excogitatis se recreandi inventionibus intertexta talis ipsis videtur, quâ innocentior in mundo duci non possit, illúmque qui hanc condemnat, tanquam hominem sylvestrem & qui vellet, si posset, civitates in deserta commutare, exsibilant. Sed enim, istorum verbis si veritas constet, Christum JESUM à vero aberrâsse, Spiritum S. hallucinatum fuisse necesse est, qui sacris in Paginis nos omnino contrarium docet. Ita enim per os Hussæi Principis Divina ad nos veritas loquitur: *Infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi; Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt. Job. 11. v. 21.* Recreant se lusibûs, exultant in concentibus musicis, perpetuas inter lætitias

tempus prodigunt, & in ictu oculi in ignem æternum descendunt. Hunc ipsum in modum per Isaiam inquit: *Cythara & lyra, & tympanum & tibia, & vinum in convivijs vestris: propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino. Is. 5.* Totum tempus solis animi relaxationibus tribuitur, à lecto ad mensam, à mensa ad conversationes, à conversationibus ad theatra transitur, inter lætitias ita concatenatas, ut veluti totidem annuli una alteri innectatur; & ideo infernus fauces suas, ad illos, qui tanto quotidie numero illuc decidunt, excipiendos absque termino dilatavit. Parî modô per os Prophetæ Amos infelicem illorum, qui divitiîs abundantes, nobilitate & honoribûs insignes, aurô byssóque induti, superbis in lectis dormiunt, selectioribus se deliciis pascunt, suaviſſimo quovis genere musicæ se recreant, conditionem nobis insinuat, *væ! qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domus Israël: qui dormitis in lectis eburneis: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem Psalterij, bibentes vinum in phialis, & optimo unguentô delibuti. Amos. 6.* Et longè adhuc clariùs Incarnata Sapientia, væ! vobis, inquit, O! divites hujus mundi! qui in hac vita vestram consolationem habetis; væ! vobis, qui omni voluptate vos

sa-

ſatiatis; væ! vobis, qui modò inter riſus lætamini, væ! vobis, qui magni eſtis in ore populi, & quorum ſplendidam ſortem aliorum modò invidia inſectatur: *Veruntamen væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram: væ! vobis, qui ſaturati eſtis: væ! vobis, qui ridetis nunc: væ! cùm benedixerint vobis homines. Luc. 6.* Dicunt illi quidem: quid denique mali eſt, lætitiis mentem exhilarare, omnem ſeſe oblectandi occaſionem conquirere, pretioſo veſtium ornatu ſplendeſcere, vitam inter læta otia exigere? ſufficit, quòd non aliud aut injuſtitiæ, aut luxuriæ peccatum conſciſcamus: & tamen Chriſtus Dominus apertiſſimè aſſeverat, hanc vivendi rationem diſponere ad damnationem æternam, quod terribilis illa & toties repetita particula væ! væ! ſignificat; & in Lege Antiqua, quamvis multò imperfectiore, quàm ſit Lex Chriſtiana, Spiritus ſanctus ait, infernum ob ſimilem vitæ tenorem, os, ſinúmque ſuum aperuiſſe, ut locum concederet tot inſanientibus, qui unico lætioris vitæ momentô æternitatem ſibi comparant tormentorum. Agedum autem, quem jam decipi credamus, an homines ejusmodi mundanos, an DEUM? illos mille vitiis excæcatos, an Incarnatam Sapientiam, quæ de cœlo deſcendit, ut viam ſalutis nos edoceret? Tu ſaltem, ô Lector, quemadmodum per

viam incedens, si hujusmodi vox aures tuas perstringit; *siste*, *siste*, quid periculi immineat, cogniturus, inversa facie retrospicis; ad illud modò, quod audisti, considerandum, atque ad ponderanda illa damna te paululum converte, quæ ex hactenus descripta vivendi methodo emergentia magis jam in specie exponam.

DAMNUM,

Quod affert saluti isthic inter delicias vivendi modus.

COnsidera, quòd Spiritus sanctus per Jobum non dicat, quòd ille, qui mundanis deliciis inhiat, in momento ad orcum præcipitetur, sed, quòd illuc descendat: *ad inferna descendunt* pededentim nempe, & quasi per gradus procedendò; illa namque molliter vivendi ratio dispositio quædam est ad omnis generis scelera, & non parùm opponitur cùm Professioni hominis Christiani, tum spei atque fiduciæ hominis prædestinati. Altè hæc duo vocabula animo tuo imprime; in paucis enim syllabis multa continent.

Inprimis homo Christianus vivere debet ex fide, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Justus autem meus ex fide vivit.* Jam verò quæ dispositio excogitari queat fidei, quæ tota spiritualis est, magis contraria, quàm vita quærendæ

dæ in ſenſibilibus hujus mundi bonis voluptati ſemper intenta? Obſervat Tertullianus, nullum ex antiquis Philoſophis de ſole ineptiùs locutum fuiſſe, quàm Epicurum, cùm majorem non eſſe putaret quàm aſpicientium oculis apparet, ampliſſimúmque illud corpus, quod tot millenis vicibus totum terrarum globum magnitudine ſua exſuperat, ac ſi currûs cujusdam rotam menſurandam præ manibus haberet, ad pedes menſuraret: *Epicurus Solis orbem pedalem deprehendit.* Id ipſum cum quadam proportione dici poteſt de iſtis terrenarum voluptatum idololatris, & Epicureis potiùs hominibus, quàm Chriſtianis: tam vilem habent bonorum æternorum æſtimationem, tam humilem de ſupremo Numine, immenſa ejusdem Potentia, infinita Bonitate ac Juſtitia ideam, ut miraculum videatur, ſi in hujusmodi infumato capite fides non vacillet. Quemadmodum Chriſtianus ex fide vivit, ita vivit quoque ex ſpe & charitate; verùm qualem in his mortalibus ſpem invenies, qui tanta cupiditate in mundi delicias ſe totos effundunt? ſi perpetuò vita præſente perfrui ipſis concederetur, prompta voluntate cœleſti paradyſo renuntiarent; ſicut fatuæ illæ tribus, quæ, ubi camporum cis Jordanem ſitorum amœnitatem conſpexerant, ſua ſe protinus terræ promiſſæ portione abdicârunt. Id ipſum de charitate tenendum,

quæ

quæ non nisi difficillimè in animo deliciis dedito succenditur, sicuti à ligno viridi difficulter concipitur flamma. Præterea: Professio hominis Christiani professio est militis; atque ideo, quænam alia dispositio magis eidem contraria excogitari possit, quàm mundanæ deliciæ, quæ istud suum solenne tenent, quòd fortissimi cujusque animum enervent? pluribûs opus est, quàm præcisè oleum affundere, ut justa gladio durities inducatur. Ex Christianis aliqui eò deveniunt, ut ad illos absterrendos vel sola difficultatis umbra sufficiat. Ad primam, quæ post peractam exhomologesin insurgit, tentationem à bono suo proposito recedunt; eorúmque proposita cornibus *limacum* sunt *simillima*, quæ teste Aristotele armorum ne quidem nomen promerentur, utpote quæ ad quemvis tenuissimæ cujusvis herbæ attactum se retrahunt. Quid igitur prodest dicere: habere se opiparè, dormire molliter, hilarî animô lætis consortiis, tripudiis atque conviviis interesse, non est peccatum? dabo, peccatum non sit, certè tamen tale quiddam est, quod ad hoc absque dubio disponit, ut in gravissimorum scelerum licentiam quis abeat, ut nulli amplùs tentationi resistat, ut nihil amplùs de DEO, de rebus cœlestibus palato ejus arrideat, ut pedetentim in malorum profundum proruat, quemadmodum sapientissimo Regum Salomo-

moni accidit, qui cùm ab initio illis, quibus perfrui licitè posset, oblectare se deliciis constituisset, eò postmodum progressus tandem est, ut in stolidissimam idololatriam laberetur. Igitur virili animo deliciis se Christianus expediat, convenit, inquit Tertullianus; hæ namque virtutem nostram effœminatam, ad supportandum crucis onus, ad repellendos tentatoris assultus inhabilem efficiunt: *discutienda sunt delicia quarum mollitie fidei virtus effœminari potest L. de cult. fœm.*

Hæc ipsa vitæ adeò deliciarum studiosæ mollities æquè contraria est nostræ prædestinationis spei, quam Professioni hominis Christiani. Ratio est manifesta; tota námque prædestinationis nostræ spes similitudini, quam cum Christo JESU Prædestinatorum Capite habemus, tanquam fundamento incumbit. Ita altiore afflatus spiritu credere nos docet Apostolus, cùm ad Romanos scribit: *Quos prædestinavit conformes fieri Imagini filii sui c. 8. v. 29.* Jam verò Christi vitam perpetuò tres isti socij comitabantur, paupertas scilicet, dolor, contemptus, atque per hanc viam ille ad gloriam eluctatus est: *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Quid igitur jam dicunt delicati isti, qui vel ad solum pœnitentiæ ac mortificationis nomen totis artubûs contremiscunt? an forsan aliud ipsi Evangelium repererunt? num in illorum gra-

gratiam alius de cœlo redemptor descendit, cui coronandô se rosîs conformare se queant? an forsitan nova iisdem ad cœlum via aperta est? ita, ut, cùm omnes illi, qui ad præsens usque momentum in illud ingressi sunt, per multas intrare tribulationes necesse habuerint: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI*, *Act. 14.* ipsis per continuas deliciarum illecebras illuc pervenire concedatur; cúmque pro aliis hucusque via, quæ ad æternam patriam perducit, arcta extiterit: *arcta est via*, *quæ ducit ad vitam*; *Matt. 7.* ipsis spatiosior, quàm ampla quædam platea pateſcat. Brevi reflexione ad hanc rationem animum adverte, & non dubito, quin illius efficaciâ intellectus tuus sit convincendus.

Expertus id est Valisoleti nobili Hispaniæ civitate toparchà quidam genere non minùs quàm divitiis nobilis, & deliciarum istarum studiosissimus. Multa hic, & præclara narrari audierat de insigni doctrina & sanctitate Patris Petri Fabri, quem inter primos, eósque dilectissimos socios, in fundanda sua Religione S. Ignatius numerat. Impulsus proinde curiositate potiùs rei veritatem è proprio experimento noscendi, quàm alio motivo, occasionem, qua solus cum solo colloqui posset, captavit, próque anima sua salubre ab illo documentum popoſcit. Cui Vir sanctus, profundiùs, atque Nobilis credebat, ipsius

ipſius animum introſpiciens hæc ſolummodo verba loquebatur: *Chriſtus pauper, & ego dives: Chriſtus jejunus, & ego plenè ſatiatus: Chriſtus nudus, & ego ſplendidè veſtitus: Chriſtus in tormentis, & ego in deliciis;* & hôc dictô conticuit. Alter, quemadmodum veritates iſtas negare non poterat, ita easdem non niſi triviales reputavit, Fabríque famam verô eſſe majorem intra ſemetipſum concluſit. Pauci interea dies abierant, cùm eo ipſo tempore, quo pro more convivio accumbebat, verba non ita pridem à Fabro audita denuo in mentem revocavit, atque tunc tandem nova luce cœlitus immiſſa animum colluſtrante illorum ſenſum penetravit, támque clarè latiſſimam quæ ſuam inter & Sanctiſſimi Redemptoris vitam intercederet, diſſimilitudinem, gravémque quam ex hoc capite animæ ſuæ ſalus pateretur, difficultatem dignovit, ut in copioſiſſimas repentè ſolutus lachrymas de menſa ſurrexerit, in privato quodam cubiculo diutiùs ſe ſe lacrymarum pane cibaturus, atque commodiùs conceptum ſuam vitam permutandi, debitámque deinceps pœnitentiam perſolvendi propoſitum firmaturus. (Bart. Ital. L. 1. c. 18.)

Similis divinæ colluſtrationis radius ad intelligendam ritè, quam legis veritatem, tibi quoque neceſſarius foret, & tunc denique caperes, tantò te majorem, ùt inquit S.

Gregorius, timendi cauſam habere, quò feliciùs per tranquilla navigare tibi videris. *Admonemur mundi proſpera metuere, & contra omnem ſæculi felicitatem acriùs vigilare. in Pſalm. 30.* Caperes, magnum eſſe ſupplicium poſt tot commiſſa crimina nullo à DEO ſupplicio caſtigari; hoc námque eſt illud, quod DEUS comminatur, ubi ſupremam in mortales iracundiam concepit: *Non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fuerint fornicatæ. Oſ. 4.* Caperes, non flagellari in hac vita cum hominibus, eſſe manifeſto ſe exponere periculo flagellationis æternæ in inferno ſubeundæ cum dœmonibus: *qui in labore hominum non ſunt, in labore dæmonum erunt: & qui cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur. S. Bern. ſerm. 23. in Cantic.* Caperes, recipere bonum in vita ſua, eſſe ſocium ſe adjungere Epuloni in hoc mundo, cum evidenti diſcrimine, ne quis eidem quoque ſocius adjungatur in igne æterno; qui enim iisdem cum illo deliciis paſcitur, non immeritò timere poteſt, ne, quod illi dictum fuit, audire quoque & ipſe debeat: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Luc. 16.* Uno verbo, caperes, Regnum cœlorum haud quaquam inerti otio, & deliciosè fallendi temporis ſtudiò, ſed generoſa fortitudine, & magnanimâ violentiâ obtineri: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matt. 11.*

11. v. 12. Omnes hasce veritates in momento intelligeres: at verò, cùm densissimis carnalis sapientiæ immersus sis tenebris tantùm abest, ut hujusmodi res obtenebrato intellectu assequaris, ut vel solùm audire illas tibi displiceat, illúmque in corde tuo condemnes, qui easdem in animæ tuæ emolumentum ob oculos tibi ponere laborat. *Verbum sapiens audivit luxuriosus, & displicebit ei. Eccl. 21. v. 18.* Absit proinde, mihi unquam ampliùs innocentia esse ejusmodi oblectamenta dicas; nam si immoderata sint, sive ratione temporis, quod illis impenditur, si nempe integra iis dies tribuatur? sive ratione affectûs, quo iisdem animus affigitur, si nempe propterea pœnitentiæ illum oblivio subeat, summè profectò noxia sunt, magnúmque jam in vita præsenti malum continent, & longè adhuc majus, imò omnium maximum minantur in futurum.

S. Theresia in libro, cui ex obedientia vitæ suæ historiam intulit, capite trigesimô secundô refert, quòd, cùm aliquando orationi vacaret, Divinissimus Sponsus locum sibi quemdam in inferno ostenderit, in quem certissimè præceps abiisset, si continuare quasdam conversationes & amicitias perrexisset, quæ quidem ex se malæ non erant (ab his enim Sancta à primo suæ vitæ exordio ad ultimum usque halitum toto corde constanter abhor-

ruit) ſed vanæ, atque adeò periculoſæ, ne illius animum perverterent, eóque ſenſim perducerent, ut à DEO deſereretur. Jam verò libentiſſimè ego reſcirem ex te, quisquis tam avidè delicias ſectaris, an tua oblectamenta, tua, quæ aliis defers, obſequia, tuæ converſationes, tuæ viſitationes tanta cum innocentia tranſigantur, atque amicitiæ S. Thereſiæ, nondum quidem in excelſo perfectionis gradu conſtitutæ, nullo tamen etiam in illud uſque momentum, graviori ſcelere depravatæ? & ſiquidem tantum tibi inſit audaciæ, ut tuas delicias cum illius oblectationibus comparare ſuſtineas, ſcire jam pervelim, ſi illius amicitiæ cum certo æternæ damnationis periculo conjunctæ fuerunt, quo fundamento tuas ab eodem eximias pronunties? Per ſalutem te tuam obteſtor, ne diutiùs te decipi patiaris à perfida hac Dalila tua ſenſualitate. Si vitam vivere undequaque deliciis affluentem, grande malum eſſe jam nunc tibi non appareat, apparebit poſt tempus modicum: *dum amantur vana, perpetrantur mala.* Qui illud omne amplectitur, quod ſimpliciter eſt licitum, in eo jam eſt, ut etiam illicita proximè exequatur: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Exod.* 32. non finitur recreatio, quæ in apertam non deſinat idololatriam. Quapropter firmiſſimum, multum de tuis commoditatibus reſecan-

candi, atque pœnitentiæ, quæ Christianæ professioni adeò propria est, ut totam vitam nostram deberet componere, non penitus obliviscendi propositum concipe. Vita Christiani, inquit sancta Synodus Tridentina, est continuata pœnitentia. Non est prohibibitum, fatigatum laboribûs animum relaxare; sed enim scire oportet, haud quaquam fas esse ob oculos positam mellis portionem ex amplis patinis, aut exundante dexteræ vola exsorbere; sed extremos solummodo digitos intingere, & ejusdem exinde dulcedinem guttatim delibare. Oblectamenta Christianorum debent esse eorundem statui consentanea: recreare se possunt, sed in Domino: recreare se possunt, sed suo tempore, non die tota: recreare se possunt, verùm ut majores ad sui mortificationem vires recipiant; quemadmodum arcus remittitur, ut majore postmodum vigore sagittam excutiat.

Denique Christus JESUS mortuus est, ut populum formaret, qui per bonorum operum, non verò deliciarum vestigia ambularet: *Dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Tit. 2. 14.* Neque ideo tantummodo in terram è cœlo descendit, ut noster Redemptor, verùm etiam ut & verbis & exemplis noster quoque Magister existeret, apertè declarans eum, qui se sua cum cruce sequi recu-

ſet, ſuorum fidelium nec nomen, nec præmium promereri: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, Matt. 10. v. 38.

REMEDIUM

Ad tollendum hoc impedimentum.

VErùm ad extirpandum humano ex animo affectum, qui tam profundas à primis pueritiæ annis in eo radices egit, non poteſt, niſi magna fortitudo ſufficere; atque, quod inde ſequitur, ad hanc obtinendam humilis & conſtans oratio requiritur. Suſpira etiam tu ſæpenumero cum Eccleſiaſtico ad Dominum DEUM tuum: *Aufer à me ventris concupiſcentias; & animæ irreverenti, & infrunitæ, ne tradas me.* c. 23. v. 6. O! Domine! tolle ex animo meo hanc inſatiabilem mundanarum deliciarum cupiditatem, & noli me immani carnis meæ tyrannidi ſubjicere. Maxima, quam Divina tibi in hoc mundo infligere Juſtitia poteſt, pœna eſt, tradere in manus carnalis cupiditatis tuæ; quæ *irreverens* vocatur, quia, ut ſuum ipſa intentum conſequatur, omnia jura Divina juxta atque humana ſúsque déque habet; vocatur *infrunita*, hoc eſt inſatiabilis & absque frœno, quia id, quod illius deſideria deberet ſatiare, atque extinguere, eadem excitat magìs atque in-

inflammat. Crebrîs itaque ſuſpiriîs te Patri Cœleſti commenda, ut ab inimico tuo omnium maximo, qui tu ipſe es, & propria tua voluntas, ac perverſa iſthæc ad delicias inclinatio, te liberet. Quod verò ad tuam cooperationem attinet, tria inſuper remedia tibi ſuppeditabo, quorum ope, ſi ritè illa adhibueris, robur iſtud acquires.

Primum ſit, mundanas delicias non à fronte, ſed à tergo aſpicere; volo dicere: non conſiderare quidnam pro præſenti offerant, ſed earundem finem, præcipuè pro mortis articulo: *Ne intuearis vinum, dum ſplenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ùt Coluber. Prov. 23. v. 31.* Bella & jucunda jam apparet mundanorum vita ex eo; quia continuîs illecebrîs eorum ſenſibus blanditur; verùm quanto tempore duraturam exiſtimas? ecce! poſt pauxillum temporis ad extrema deductus tremendas inter anguſtias jacebis, omníque jam dilapſa dulcedine nihil niſi acerbè pungentes aculei remanebunt, eò quòd inter veſanas ineptias, inter meras vanitates tempus perdideris, tantâ miſericordiâ tibi à DEO eum in finem conceſſum, ut felicitatem tibi comparares ſempiternam. Vita præſens, tunc dices, ideo mihi tantummodo data fuit, ut illâ benè utendô futuram lucrarer; & ego in quid eam impendi? creatus ſum, ut omnipotenti DEO

famulares, & mihi soli hactenus servivi. Positus sum in hoc mundo propter animam, & non propter corpus; & vixi hactenus ac si immortalem non habuissem, quam salvare deberem; ac si tantummodo ad hoc natus fuissem, ut fœtido corpori deservirem.

Moyses, ut serpentem in Virgam stupendum illud tot prodigiorum instrumentum mutaret, aliud non egit, quam quòd illius extremitatem, uti DEUS ipsi mandaverat, dexterâ prehenderit: *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Exod. 4. v. 4.* Hoc ipsum tu quoque fac; mundanarum delicarum caudam prehende, & quæ modò, cùm tanquam finis à te amantur, venenatæ instar viperæ fatali toxico te inficiunt, generoso contemptu repudiatæ, ad acquirendum omne bonum tibi deservient. Præcipuè, si propinquæ mortis considerationi illud quoque adjunges, quod formidabilem ejusdem acerbitatem immensùm adauget; si nempe severissimam illam rationem, quam post perbrevem temporis lapsum coram Divino Tribunali districtissimo Judici redditurus es, animo tuo seriò propones. Audi, quem in modum de grandi hoc negotio Rex Salomon nos admoneat, postquam propriò experimentò didicerat, quidnam prodesset tandem, in omnis generis delicias totum cor suum effundere: *Lætare juvenis, & in bono sit cor tuum: ambula in viis*

viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito, quòd pro omnibus his adducet te Dominus in judicium. Eccles. 11. v. 9. O! quam amara ironia! perge litare genio, lætare & exulta: da sensibus, quidquid desiderant: Concede omnem te oblectandi gratiâ oculis tuis libertatem; sed scias oportet, paulò pòst citandum te esse ad formidabile illud Tribunal, coram quo etiam insigni Sanctimoniâ præfulgentes, vestiti ciliciô, circumligati catenîs, jejuniô attriti omnibûs artubûs contremiscunt, atque exinde, quid te futurum sit, dijudica, qui totus deliciîs circumfluis.

Secundum remedium erit Sanctorum vitas perlegere. Quis explicare jam queat, quàm magna ex iis emolumenta hausturus sit anima tua! saltem duplicem exinde hanc utilitatem recipies, nimirum salubri inprimis pudore suffundetur animus tuus, si illorum rigorem cum vitæ tuæ mollitie conferas. Deinde è sua insuper pusillanimitate erigetur, quo fiet, ut & ipse ad audendum quidpiam, Christiani, quod portas, nomine, atque illa, qua aliquando illorum in Paradyso socium te fore confidis, spe dignum assurgat. Sumus filij Sanctorum, inquiebat olim bonus Senex Tobias, atque etiam nos vitam illam sempiternam exspectamus, quam DEUS suis fidelibus præparavit: *Filij Sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam DEUS daturus est his,*

qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Tob. 2. v. 18. Quàm æquum proinde eſt, ut, ſi ad idem præmium aſpiremus, per eandem cum ipſis viam ambulemus: quemadmodum magis imbellium cervorum vulgus facere aſſolet, qui mare timentes transnatare; ubi quemdam robuſtioris corporis inſilire in aquam, atque præire conſpiciunt, absque difficultate eundem ſequuntur. Iſtud tam ſplendidum Sanctorum exemplum reliquis Chriſtianis magnum addere animum deberet; ſed enim ij explodunt illud, & heroica Sanctorum pietatis facinora fuiſſe exceſſus opponunt. Ego verò nihil ſacris in Paginis invenio, quod veſtræ huic aſſertioni patrocinetur. Inter alios S. Paulus expreſsè dicit, puòd corpus ſuum caſtigaverit, atque in ſervitutem redegerit, ut ne, cùm aliis, ſalutem prædicaret, ipſe eâdem excideret: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. Cor. 9.* Nunquid igitur magna cœcitas eſt, perſuadere ſibi, nihil eorum, quæ Sancti aut fecerunt, aut paſſi ſunt, ad conſequendam ſalutem nobis eſſe neceſſarium? &, ſi Apoſtolo ad hoc, ut ad gloriam eligeretur, ſufficere non videbatur vita inter perſecutiones, inter captivitates & naufragia tranſacta, niſi alias inſuper voluntarias pœnitentias adjungeret, quo fundamento nobis ſufficere vitam mollem & effœminatam, atque

que inter omnis generis delicias exactam existimemus.

Cum lectione vitarum Sanctorum conjungi debet lectio Passionis Dominicæ: Magna profectò Christianorum inordinatio in eo est, quòd, cùm Verbum Incarnatum in se susceperit omne genus malorum, quorum capax erat DEUS, ut nobis procuraret omne genus bonorum, quorum capax erat homo, nihilominus tamen illi, tametsi hæc omnia firmissima fide profiteantur, ne tantum quidem otij inveniant, quo Divinæ Passionis historiam oculis perlustrent, cùm tamen satis superque temporis reperiant, quo inania nova perlegant, quæ per plateas circumferuntur. Alioquin, si sacratissimæ Passionis Lectioni frequenter temporis aliquid tribuerent, quomodo possibile foret, ut ob vitam professioni, quâ Redemptorem suum sequi profitentur, adeò contrariam non erubescerent? *Arca DEI, & Israël, & Juda habitant in papillionibus, & Dominus meus Joab super faciem terræ manet, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam? non faciam rem hanc.* 2. *Reg.* 11. dicebat olim Urias, & absque dubio dicturus esset quilibet, si frequenter vitæ tenorem, & acerbissimæ Christi Domini mortis historiam suis oculis proponeret, qui tanta perpeti tormenta dignatus est, non modò ut ab æterno nos interitu vindicaret; verùm etiam, sicut diximus;

mus, ut ſanctiſſimô nos ſuô exemplô inſtrueret.

Tertium ex hoc vitæ genere, Chriſtianæ mortificationi nimium repugnante ſeſe extricandi remedium eſt, incipere ſeipſum in rebus parvis vincere. Quid denique magni eſt, aliquoties converſationis cujusdam ſolatiô, quadam curioſitate, delicatiorî quodam ferculô ſe privare? S. Franciſcus Borgia adhuc dum Gandiæ Dux, cùm Imperatorem Carolum Quintum ad venationum delicias comitaretur, ad jucundiſſimum earundem ſpectaculum, quando nempe falcones in eo jam erant, ut præcipiti volatu in prædam irruerent, ſuos oculos claudebat, & generoſam hanc de ſe ipſo victoriam in ſacrificium ſupremo Numini immolabat. Simile ſacrificium cœlo offerebat Theodoſius Junior Imperator, quando aſſiſtere ſpectaculis coactus, eadem in ſuæ virtutis triumphum convertebat, ſuos oculos ibi dejiciendô, ubi conferta populi multitudo ob mirabilem rei exhibitæ elegantiam ad faciendos majores applauſus voces elevabat. P. Vincentius Caraffa è Societate IESU, ad convivium invitatus, ſuos quoque Patronos, uti ſolebat dicere, ſecum invitabat, & unicuique illorum ſuam portionem ſeponebat, atque in illorum honorem præcipuam, meriorémque appoſitorum ferculorum partem intactam relinquebat. Hæc & ſimilia exempla

non

non in eremo tantummodo, sed spectantibus Imperatoriæ Aulæ Proceribus, publicisque in conviviis, & ab hominibus non è trivio solùm atque ex infima plebe oriundis, sed delicatis, & generis prosapiâ insignibus exhibita eò te pertrahant, ut à minimis incipiens ulteriores semper in virtute progressus facias. Experientiâ Magistrâ disces, quòd, sicuti canes venatici etiamnum teneri ab initio apri occisi pellem pertimescunt, postmodum verò, ubi adoleverint, inter sylvarum deserta etiam vivum provocant, audacibusque in eundem dentibus insiliunt; ita & tu, ubi primùm viam spiritûs ingressus fueris, in demittendo oculo difficultatem fis habiturus; postquam verò majora virtus tua incrementa acceperit, quò majores vita Christiana difficultates opposuerit, eò generosiore animo iis obviam fis processurus, ut glorioſum de iisdem triumphum referas. At verò sine his principiis nunquam solidum in virtute progressum facies: *Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium. Job 28. v. 13.* virtus inter delicias non reperitur; sicuti herbæ odoriferæ in solo nimiùm pingui non crescunt. Imò non modò virtutem non acquires; sed ne quidem tentationibus & peccatis resistes: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccl. 18. v. 31.* Si illud continuò respicere, & fixissimè contemplari volueris, quod sen-

ſenſibus tuis blanditur ; ſi illud tanquam operandi regulam aſſumpſeris, quod carni tuæ arridet, non multum temporis abibit, cùm inimici tui tuo in interitu exultabunt, & ubi corpus tuum delicatè habueris, illius loco, quòd rationi ſubjectum & obſequens viſurus ſis, recalcitrare, & moleſtiores identidem excitare turbas ſenties : *qui delicatè nutrit ſervum ſuum, ſentiet eum contumacem. Prov. 29. v. 22.* Uno verbo, quemadmodum canis nullibi majus quàm inter flores fugientium ferarum veſtigia amittendi periculum ſubit; ita anima tua nullibi præſentius, quàm in mediis mundanarum deliciarum illecebris à fine ſuo aberrandi diſcrimen incurrit. Crede tantùm firmiſſimè, quòd, cùm in Evangelio Incarnati Verbi Sapientia, omnibus fidelibus ad acquirendam cœleſtem gloriam neceſſarium eſſe quotidie ſuis humeris crucem imponere, tam apertè declaravit : *Dicebat ad omnes : ſi quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam quotidie* omnino pro indubitato tenendum ſit, non aliam tibi animam tuam ſalvandi viam ſupereſſe, quàm viam mortificationis, ſecùs profectò, eandem nobis oſtendere Amabiliſſimus Servator nullatenus omiſiſſet, qui tanto cum amore ſe nobis præbere Ducem dignatus eſt,

LE-

LECTIO VII.
DE IMPEDIMENTO,

Quod affert ſaluti inordinatus amor divitiarum.

DUas avaritiæ ſpecies diſtinguit S. Thomas, unam contrariam juſtitiæ, & eſt alteri auferre ſuum; aliam contrariam liberalitati, & eſt, nimis tenaciter retinere proprium. Jam, nemo ignorat primam avaritiæ ſpeciem ſaluti eſſe oppoſitam: *Fures regnum DEI non poſſidebunt. 1. Cor. 6. v. 10.* At verò, quantum ad alteram attinet, pauci hoc ſciunt, & multò minùs intelligere volunt, tametſi id ipſis apertè demonſtretur. Et tamen, quidnam manifeſtius in S. Evangelio? nihil magis in Phariſæis reprehendebat Chriſtus Dominus, quàm ſuperbiam, & avaritiam; ſed quamnam ille avaritiam ſuis in ſermonibus reprehendebat? certè non illam, quæ ad alienum injuſtas manus extendit, ſed illam, quæ ſuum cum nimia tenacitate poſſidet, illud nimis ardenter deſiderat, & nimia ſolicitudine conquirit. Ob id ipſum omnes fideles ſuis in Apoſtolis inſtructurus ad eosdem ajebat: *Videte & cavete ab omni avaritia. Luc. 12. v. 15.* Attendite diligenter, & cum ſingulari ſolicitudine vigilate, ut ab omni avaritiæ genere

vos

vos defendatis, id est, non ab illa tantùm, quæ cum injustitia conjuncta est, sed illa quoque, quæ nimiùm tenaciter bonis propriis animum affigit: *ab omni avaritia.* Denique à quo alio vitio Dulcissimus Redemptor occasionem sumpsit admirandi, nobísque detegendi vim illam longè maximam, quam ad præcludendam nobis Paradysi januam habent bona temporalia, nisi ab immoderato affectu, quo juvenis ille cæterà tam innocens suas in possessiones ferebatur? *quàm difficile, qui pecunias habent, in Regnum DEI introibunt! Marc. 10. v. 23.* quàm difficile est, ut illi, qui & multas fortunas possident, & vicissim à fortunis multùm possidentur, vitam sempiternam consequantur! Jam verò, etiamsi hæc sola Medici nostri Cœlestis verba abundantissimè sufficiant, ut ex iis hujus mali gravitatem dignoscere, meritóque nobis esse suspecti possemus, an non nos quoque morbô tam periculosô laboremus, nihilominus nihil abs re facturum me puto, si hoc ipsum magìs minutim explicavero.

DAMNUM,

Quod affert saluti nostræ hoc impedimentum.

DUæ propositiones ex praxi manifestæ, ad explicandum grande hoc damnum mihi viam facient; una est, quòd rarò secunda

da hæc ſpecies avaritiæ absque prima inveniatur: altera eſt, quòd adhuc rariùs ſecunda hæc avaritiæ ſpecies cum aliis vitiis non ſit conjuncta: ſeu clarioribûs terminis; quòd immoderatus bonorum temporalium amor facillimè ad committendas multas injuſtitias impellat, & ſiquidem iſtud non eveniet, certò facilè in omnis generis ſcelera vos præcipitabit.

Has veritates ut intelligamus, primò juſtam de hujus paſſionis violentia, & immani, quam in cor hominis ſemel poſſeſſum exercet, tyrannide ideam animô concipiamus. Docet S. Thomas, hoc vitium inter vitia merè ſpiritualia, & vitia merè carnalia eſſe medium; adeóque hujus affectûs & diabolici, & carnalis malitiam participat, ſimilísque eſt globo è tormento bellico excuſſo, qui ſuam ad inferendas ſtrages vim ac fortitudinem ab igne ſimul, & ſuo pondere accipit. Deinde occaſiones exercendi actus hujus vitij ſunt multò frequentiores, quàm ſint occaſiones exercendi actus aliarum paſſionum; atque adeò habitum longè robuſtiorem efformant. Nónne videmus, quòd multi ſint, quemadmodum eos Propheta vocat, *involuti argentô? Soph. 1. v. 11.* perpetua ipſorum occupatio eſt, cum pecuniis negotiari, aut vendendo, aut emendo, aut dando illas ad uſuram, aut accumulando? atque hoc ita quidem, ut, cùm

reliqui inordinati affectus deficiente ætate & ipsi deficiant, hic paria cum ætate incrementa suscipiat; unde contingit, ut ille, cujus animum fatalis isthæc tenacitas semel occupaverit, similis evadat pyramidibus, quæ, quò altiùs in aëra assurgunt, eò acutiora in acumina desinunt. Accedit, quòd alia vitia homini bonum tantummodo particulare promittant, avaritia verò omne genus bonorum polliceatur; unde ingenerat amorem divitiarum tanquam boni cujusdam universalis, quod omnia reliqua virtualiter in se contineat, virésque habeat ad eadem procuranda sufficientissimas, atque adeò pronum est, ut quis in easdem correspondente affectu, & qui omnes alias cupiditates excedat, afficiatur. Denique, quod ultimum malo complementum adjicit, est illud, quòd nimirum istud vitium ordinariè humano in animo occultè delitescat, qui sub larva prudentiæ, quæ docet removere discrimina incurrendi paupertatem; sub schemate charitatis, quæ exigat, ut Filiis, Domui, atque Familiæ in futurum provideatur; sub prætextu necessitatis sui gradûs conservandi se se abscondit; unde, quemadmodum serpentes, qui quoad colorem terræ sunt similiores, difficiliùs pro serpentibus agnoscuntur; ita hæc passio, tanto non levium in speciem rationum apparatu vestita difficiliùs pro passione habetur. Ex quibus

omnibus

omnibus planè manifestum efficitur, amorem divitiarum, acquirendi, retinendi, non perdendi, famem plùs quàm caninam existere, atque adeò, quis facilè tam effrœni hujusmodi appetitui temperantiæ fines queat præfigere, ita, ut alicubi justitiæ limites non transgrediatur? ita enim æternæ Veritatis Oraculum: *qui aurum diligit non justificabitur. Eccl. 3. v. 5.* Et profectò, quis persuadere sibi possit, rem facilem esse, vivere sub affectûs usque adeò violenti tyrannide, suîsque bonis esse contentum, absque eo, quòd quis hinc inde in justitiæ leges impingat, atque alios impia fraude circumveniat? absque eo, quòd certis quibusdam vehementer allicientibûs utatur opportunitatibûs, in quibus non valeat homo injustitiæ convinci? quomodo possibile sit, ut animus insatiabili divitias colligendi cupidine exæstuet, & nihilominus in suis negotiis præscriptam à justitiæ legibus mensuram observet? ut velit non modò copiosis, sed exigui quoque intra temporis decursum affluere divitiis, & tamen non per viam aliam, nisi directam, quæ naturaliter loquendô semper est longior, incedat? miracula sunt isthæc, atque ideo ratò inter homines reperiuntur: *Qui post aurum non abit, fecit mirabilia in vita sua. Eccl. 31. v. 9.* Nihil magni est, rivulum exiguum suos intra terminos ita continere, ne eosdem supergressus

vicina camporum jugera devastet; at verò, quænam ars, quænam vires rapidissimo torrenti littoribus coërcendo sufficient, qui ex alto rupis vertice descendens, tumido, minacique alveo per plana ducurrit? *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Prov. 28. v. 20.

Nihilominus verum esse concedamus, reperiri magnum pecuniarum amorem, quem injustitia non comitetur; demus, sanctum Hieronymum per auxesin dixisse: *omnis dives iniquus, aut iniqui hæres;* ita ut invenire sit quenquam, qui aut multa corradat ipse, aut multa corrasa ab aliis suis in ædibus reperiat, quin quidnam exinde iniquitatis contraxerit: qua ratione animus, qui bonorum terrenorum aviditate abripitur, ab aliis se se vitiis defendet? si hoc ita facile foret, haud quaquam certè Apostolus cupiditatem malorum omnium radicem appellâsset: *radix omnium malorum est cupiditas. 1. Tim. 6.* Sanctissimum, quo mundi Servator nobis præluxit exemplum, & gratia, quam amarissima sua morte nobis promeruit, tota ad hoc solum ordinatur, ut vivere nos doceat in humili pietate erga DEUM, in amore justitiæ erga proximum, in sobrietate erga nos ipsos: *Erudiens nos, ut sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo. Tit. 2. v. 12.* Atque benevolâ hæc Verbi Incarnati intentio suum ut finem consequeretur, bonorum temporalium contemptum tan-

tanquam fundamentum illi ſuppoſuit; & ideo in omnibus ſuis documentis primum, concionum ſuarum omnium prima fuit hoc: *Beati pauperes.* Luc. 6. v. 20. primáque comminatio, quam in S. Evangelio legere eſt, fuit illa, quam hujus mundi divitibus intentavit: *Verumtamen va vobis divitibus:* nempe, ut nos edoceret, quòd, quemadmodum divitiarum contemptus ſolidiſſimum eſſet Evangelicæ doctrinæ fundamentum; ita immodica earundem cupiditas aries exiſteret, qui excelſam hanc fabricam è fundamentis erueret, ſuóque impetu ſubrutam ſolo penitus adæquaret. Quapropter ecce! id! quod dici cum veritate poteſt: immoderatus bonorum terrenorum amor, maximus eſt Chriſtianæ profeſſionis inimicus, & ſi fideles ab Apoſtolo filij lucis nominantur, avaritiæ ſcelere laborantes ad hanc ipſam oppoſitionem denotandam à Regio Pſalte tenebroſi hujus terræ nuncupantur: *Repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ. Pſalm. 73.* Prima Chriſtiani hominis cogitatio debet eſſe de animæ ſalute, quemadmodum ſuaviſſimus Redemptor nos admonet: *Quærite primùm Regnum DEI, & juſtitiam ejus. Matt. 6. v. 33.* at verò, ubi avaritia animum ſubit, prima cogitatio ad accumulandas fortunas convertitur: occurrentia per annum feſta nihil penſi habentur, aut ſolummodo ùt occaſiones majoris lucri confi-

derantur, propter nundinas, & quia diebûs festis à pauperibus faciliùs obtinent, ut sibi absque mercede laborent, ita, ut diebûs istîs solennioribûs, quas S. Mater Ecclesia à suis fidelibus, considerandis beneficiis divinis, reddendis Divino Numini gratiis, frequentando sacra Mysteria consecrari desiderat istud hominum genus, longiùs quàm unquam aliàs abstit à bonorum operum exercitio, copiosioribûs, quàm unquam aliàs mundanîs negotiîs occupetur. Age, de rei istius veritate experientiam consule, & vide, an negare eam possis, imò ipsam etiam fidem interroga. Credísne, Christum Dominum unquam falsum dixisse? Jam verò ille ipse clarissimîs terminîs asseveravit, neminem posse uno eodémque tempore duobus hisce Dominis servire, & DEO, & amori pecuniarum: *Non potestis DEO servire & Mamonæ. Matt. 6. v. 24.* An autem affirmare jam sustinebis & te solum illud effecturum existimas; quod, ut à mortalium quopiam fiat, impossibile esse æterna Veritas pronuntiavit? Et quid pluribus opus? in antiqua jam Lege, in qua tamen in præmium promissæ erant, tantum nihilominus Regum sapientissimo Salomoni timorem incusserunt divitiæ, ut Divinam Majestatem hîsce precibûs supplex obtestaretur: absit, O! Domine! superfluas mihi divitias largiaris; ne animus meus iisdem repletus ad negandam tibi obe-

obedientiam inducatur, audeátque dicere: non agnoſco alium dominum, niſi me ipſum: *Divitias ne dederis mihi, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis eſt Dominus? Prov. 30. v. 9.*

Neque minus roboris habet avaritia iſthæc ad avertendum nos à noſtris proximis, quàm habeat ad hoc, ut à DEO nos ſeparet. Volunt aliqui, divitias in Lingua Latina ſuum nomen à dividendo traxiſſe: *divitiæ à dividendo*; nulla enim eſt ex omnibus humani animi paſſionibus, quæ, tantarum in orbe ruinarum cauſa exiſtat, tantáque concitet diſſidia, atque maledicta hæc augendarum opum cupiditas, utpote ratione cujus omnia litibûs implentur, & non modò cum extraneis, ſed aliquando cum illis etiam, quos arctiſſimo ſanguinis nexu tanquam fratres natura nobis conjunxit, acerrimè juxta & ſcandalosè diſceptatur. Atque adeò non pauci, poſtquam in uno eodémque unius ejusdémque Parentis ſinu formati ſunt, poſtquam unum idémque lac ex eodem materno pectore ſuxerunt, poſtquam diuturno tempore in una eadémque domo conjunctîs animîs habitârunt, tandem, ubi ad dividendam hæreditatem devenitur, ipſorum quoque ſæpenumero animi dividuntur, & in eum uſque diem continuata voluntatum conjunctio in odium & inimicitiam commutatur. Spiritus Chriſtianorum totus

eſt ſpiritus benevolentiæ & charitatis: exigit, ut omnibus, quantum quidem per vires noſtras licet, benefaciamus; exigit, ut omnes ſincero amore diligamus ſicuti nos ipſos, & eo affectu proſequamur, quo Chriſtus Dominus nos eſt amplexatus; at verò ſpiritus avaritiæ eò nos impellit, ut omnia mentis noſtræ cogitata in nos ſolos convertamus, id unicè curantes, ut nos lucrum reportemus, quidquid ſit, an alij ad extremam pauperiem devolvantur. Qui mercator eſt, vellet, omnia ſimul negotia ſuas manus tranſirent; qui generis nobilitate eminet, optaret, paupercuſi fame emorerentur, quò altiori pretio ſuos ipſe reditus poſſet divendere; atque, ut menſa ſua delicioſo ferculorum apparatu turgeſcat, ut precioſa mobilia domeſtici parietes, operta cubicula exhibeant, ut ipſi omni bonorum abundantia circumfluant; in ultimis curis reponunt expungere contracta debita, ſatisfacere piis legatis, numerare mercedem operariis, minimè ſoliciti, ſi interea miſeri ſuper terram ſua in indigentia, defunctorum manes in horrendis purgatorij flammis patiantur. Væ! famulo illi, qui poculum diffregerit! haud quaquam ſe ampliùs capit animus, dum lingua plùs quàm infernalis centum blaſphemias uno halitu evomat. Quòdſi autem filij in omnem profligatæ vitæ licentiam ſe effundant, ſi famuli injuſtis praxibus utantur,

tur, dummodo Pater, aut Paterfamilias indemnis ſervetur, nihil mali reputatur. Si die tota de anima ne quidem unica habeatur cogitatio; ſi tempus ad audiendum Sacrum non ſuperet; ſi ne quidem ſpatium ad recitandas quasdam precatiunculas ſub veſperum ſuppetat, nulla exinde cura mentis quietem turbat. Verùm ſi vicinus quatuor digitorum particulam de illorum confinibus ſuo adjicere fundo attentet, enimverò hoc tantum eſt, ut ſupportari non oporteat; confeſtim intentantur lites, & armis etiam, ſi opus fuerit, inimica defenſio præparatur. Juſtò longior exiſteret, qui fatales avaritiæ effectus omnes pro merito vellet deſcribere; omnia ferè hujus mundi peccata recenſere neceſſarium foret, utpote quæ omnia eam tanquam ſuam parentem aut nutricem reſpiciunt! unde ſi ab Huſſæo Principe rationem quandam univerſalem petatis, cur peccatores in terra reperiantur: *Quare impij vivunt?* ſinè mora reſpondebit, iſtud ex eo provenire, quia divitiæ ſunt in mundo: *Sublevati ſunt, confortatique divitiis: Job. 21. v. 7.* commoditates, quas divitiæ ſubminiſtrant, latiſſimam ipſis ad quævis ſcelera viam aperiunt. Conclude proinde, immodicum hunc affectum maximam eſſe totius mundi Chriſtiani inordinationem, quam omnia vitiorum genera aut parturiunt, aut comitantur; ita, ut ſi illa

aliquando hominis animum subintret, omnis ex eo salutem animæ procurandi cura excludatur. Hoc ipsissimum est, quod Spiritus sanctus clarissimis terminis per os Sapientis enuntiat: *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet. Eccl. 10. v. 10.* Pecuniarum namque cupiditas in homine amorem erga animam suam usque adeò extinguit, ut pro nihilo eandem divendere dœmoni non dubitet. Alij peccatores animam suam diabolo oppignorant, atque adeò faciliùs est, ut aliquando iterum illius eandem è manibus vindicent; avari autem eam ipsam nundinatori stygio divendunt penitus, & sæpissime contingit, ut per totam suam vitam nunquam ampliùs eandem redimant. Si illorum quispiam iniquum contractum ineat, quis unquam ampliùs de restitutione cogitat? tamdiu confessarij mutuantur, donec ex illis reperiatur quispiam, qui illorum ad gustum sententiam proferat, hicque solus tanquam verax & sincerus dilaudatur, reliqui autem omnes tanquam scrupulosi contemnuntur. Quòdsi tamen negari obligatio non potest, pollicentur quidem restituere debitum, sed nunquam restituunt, totúmque restitutionis negotium hæredibus relinquunt; aut, si ipsimet aliquando suæ obligationi faciant satis, eo ferè modo, quod debent, restituunt, quo mare, quod, postquam insignis

gnis magnitudinis navim absorpsit, nihil littori, præter paucas tabulas semilaceras restituit. Hoc solo & unico, *non possum*, omnes simul & semel obligationes extinguuntur, absque eo, quòd advertatur, quòd, cùm frequentiùs injustè possessa restituant pauperes, quàm divites, restitutio sæpius ob avaritiam, quàm impotentiam omittatur.

REMEDIUM

Ad tollendum hoc impedimentum.

PRimum contra hoc vitium adeò pertinax remedium in eo consistit, ut instanter Divinæ bonitati te commendes, & profunda animi demissione tu quoque cum Rege Davide ad cœlum suspires: *Inclina cor meum DEUS in testimonia tua, & non in avaritiam. Psalm. 118.* O! Domine DEUS meus! mutare digneris affectum meum, eúmque, qui ad præsens usque momentum ad pecunias, ad divitias vitiosè propendebat, ad sanctissimæ Legis tuæ amorem inclinare. Quando hìc coronatus Propheta Divinorum mandatorum observantiam avaritiæ opponit, non modò significare nobis intendit, ab avaritia non rarò totius legis transgressionem suam trahere originem, sed insuper monitos nos cupit, quòd, quantùm nostrâ interfit illam plenè observare, tantùm nostrâ interfit ardentibûs vo-

votis DEUM obteſtari, ut à maligna hac cupiditate liberos nos præſtet. Tam tenaciter ſuo ſcopulo adhæret ſpongia marina, ut, niſi in partes diſrumpatur, ab eodem ſeparari non poſſit; quòdſi autem pauxillum olei ipſi affundatur, ſua ſponte ſe ſolvit & ſeparat. Si divitiarum amor Chriſtiani hominis animum aliquando plenè poſſedit, ſua à poſſeſſione non niſi ſolius mortis immiſſa falce dejici ampliùs poteſt: at verò ſi Divinæ Clementiæ complaceat hujusmodi animo parùm aliquid efficacioris gratiæ inſpergere, tum ecce! tota repentè rerum facies mutatur & illud haberi pro lucro incipitur, quod ab initio detrimentum videbatur.

Alterum remedium eſt divitias contemnere, ita, ut nihil unquam invidiæ admittamus erga illos, qui opibûs abundant, ſed benevolo potiùs iisdem animo compatiamur; ut nullatenus eorum felicitatem extollentes, juxta ignorantis mundi conſuetudinem beatos appellemus: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Pſalm. 14.* verùm ut eosdem tanquam in propinquiore amittendæ ſalutis diſcrimine verſantes intueamur, cùm non immeritò timeri queat, ne exiguum illud boni, quod faciunt, temporali hac proſperitate Divina iis Liberalitas compenſet, atque adeò quondam coram ſupremo Tribunali audire neceſſe habeant horrendum illud: *Recordare, quia*

quia recepisti bona in vita tua Luc. 16. Magnanimus isthic bonorum terrenorum contemptus fuit primum illud lac, quo ab Apostolis ab initio recèns nata Ecclesia nutriebatur; unde primi fideles non modò nihil tanquam proprium possidebant, verùm etiam venditorum bonorum pretium ante Apostolorum pedes deponebant, ut hac ratione indicarent, à veris Christianis pecunias & opes generosis proculcari pedibus, non verò quemadmodum filij tenebrarum & cœcutientes mundi asseclæ solent, tanquam summum bonum adorari debere: *afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Act. 3. v. 5.* Itaque totum malum, quod divitiæ in se continent, non in earum possessione solùm, sed in amore positum est; multi enim ex intimis DEI amicis multas opes possederunt, nemo autem illorum aut æstimavit unquam, aut amore dignas judicavit. Aliud est venenum asservare in cista; aliud, illud in corde recondere: omnes pharmacopolæ suis in officinis habent rerum venenatarum species, quas eum in finem asservant, ut diversa postmodum ex iis remedia conficiant; verùm væ! illis, si vel unica immixta sanguini eorundem per venas circuiret. Necessarium proinde est, ex his duobus alterutrum eligere, aut relinquere divitias ut DEO servias, quod est optimum; aut siquidem illas retine-

re

re volueris, easdem tam parvi æstimare, ut nunquam sive propter earum augmentum, sive jacturam, etsi mundum lucrari universum valeres, ad offendendum DEUM tuum te induci patiaris. Qui hôc modô dives est, illum haud quaquam tangit Divina maledictio; quemadmodum enim non omnes pauperes, sed tantummodo pauperes spiritu beati pronuntiantur; hoc est illi, qui ex amore DEI pro nihilo æstimant bona temporalia possidere; ita terrifica illa Redemptoris nostri maledictio haudquaquam ad omnes divites in genere pertinet, sed ad illos solummodo, qui illius loco, quòd divitias in animæ suæ emolumentum usurpent, eandem divitiarum mancipium efficiunt. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* 1. *Joan.* 2. *v.* 15. Hoc est mandatum, quod à Domino accepimus, nimirum, ut inordinatum ad bona temporalia affectum exuamus, non verò, ut nihil eorum possideamus. Verum est, haudquaquam ita facile esse, ut prima fronte videtur, inter istos se terminos continere; atque infaustus illius juvenis, cujus supra meminimus, exitus jure merito non mediocri perstringere timore deberet illos, qui multis divitiis affluunt, etiamsi sinè culpa illas possideant, observârat ille in eam usque diem rarô pietatis exemplô integrè DEI Legem, ùti ex eo colligere licet, quòd Christus Dominus

nus eum oculo amorem tam tenerum ſpirante reſpexerit: *JEſus autem intuitus eum, dilexit eum. Marc. 10.* & tamen S. Chryſoſtomus damnatum eſſe exiſtimat, eò quòd divinæ vocationi, quæ ad omnia amore DEI relinquenda eum dirigebat, non correſponderit. Iſtud ſaltem indubitatum eſt, divitiarum, quas etiam ſinè peccato poſſidebat, multitudinem Salvatori noſtro motivum extitiſſe pronuntiandi terribilem illam ſententiam: *Facilius eſt, camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum DEI. ib. v. 25.*

Verùm quid factu opus erit, inquies, ut generoſo contemptu bona præſentia abjiciamus, quæ mundus pene univerſus tantopere deſiderat & æſtimat? optimus, meô quidem judiciô, eò pertingendi modus eſt, aliud, illúdque precioſius bonum animo proponere. Quandoquidem, ſicuti homines, ubi ſemel frumentum invenerunt, facillimè glandes, quibûs tanquam cibô electô in eam uſque diem ſe nutriverant, reliquerunt; ita pariter hominis animus, oblato bono meliore, facilî negotiô bona minora contemnit. Jam verò bona maxima & omnium precioſiſſima ſunt bona gratiæ & gloriæ. Tota ſphæra perfectionum naturæ, nimirum ſcientiæ, pulchritudinis, divitiarum, ſanitatis, etiamſi in immenſum dilataretur, nihil aliud foret, quàm punctum unicum, ſi cum minima perfe-

fectione gratiæ conferretur. Interroga ex Matheſeos peritis quempiam, an ſuperficies in infinitum multiplicata ad efformandum corpus ſufficiat? reſpondebit protinus, quòd non. Ita omnia, ſi pretium omne poſſibile, quod in natura humana ſimul atque Angelica ſagaciſſimus quisque intellectus deprehenderit, in infinitum multiplicetur, ne unius quidem gradûs gratiæ divinæ pretium poterit adæquare. Gratia eſt donum, quo majus DEUS elargiri mortalibus non poteſt; eſt reflexus Lucis Increatæ, quæ DEUS eſt, radius; eſt vera hominem inter, & Divinam Majeſtatem amicitia; eſt participatio quædam Divinitatis, vi cujus, quod in DEO eſt per eſſentiam, tanquam accidens noſtram animam exornat. Quòdſi autem tanta eſt excellentia gratiæ, quæ tamen bonum tantummodo eſt vitæ hujus mortalis; de excellentia gloriæ quid dicendum erit, quæ eſt bonum ſummum & infinitum vitæ immortalis? hoc ſolum dicamus, quandoquidem illa omnes noſtras cogitationes immensùm tranſcendit: Gloria Paradyſi tantum bonum eſt, quantum eſt ipſe DEUS, qui contemplandô ſeipſum ab æterno & infinitè Beatus extitit; & ubi revelata facie ad illius aſpectum admiſſa fuerit anima, hanc ipſam pariter in æternum & infinitè beatam efficiet. Hujusmodi ſunt bona illa, quæ Chriſtiana fides nobis aperit, & promittit; & nihi-

hilominus bonis temporalibus toto affectu inhiamus, quæ tamen viliſſimam tantùm bonorum creatorum partem conficiunt? illorum in gratiam jurgiis & litibûs contendimus, illorum causâ inſana ſolicitudine animi juxta & corporis vires enervamus, ex illorum cupidine æternam animæ noſtræ ſalutem in dubio collocamus? Imperatorum Japoniæ Primogeniti ita educantur, ut crebra ipſis admonitione inculcetur, ne ſuis unquam pedibûs terram contingant, ſi mens eſſet, in illius imperij throno tanta majeſtate præfulgente quondam reſidere; & Chriſtiani, qui in DEI filios aſſumpti educantur cum ſpe obtinendi ſedem perpetuam in Throno Divino, atque regnandi cum DEO in æternum inter omnes poſſibiles felicitates in Paradyſo; non modò affectuum ſuorum pedibus terram contingunt; ſed oculorum tenus in eandem ſe ſe immergunt; & bonorum ſuorum temporalium cœco amore abrepti, tòti in terram abeunt! *ſi terram amas, terra es*, ut Magnum inquit Africanæ Eccleſiæ Lumen S. Auguſtinus. Imò eò deveniunt, ut non una duntaxat, ſed tribûs omnino vicibûs terra efficiantur, quemadmodum eos Hieremias Propheta appellat, cum dicit: *Terra, terra, terra audi ſermonem Domini. c. 22. v. 29.* & hoc quidem propter inſatiabilem cupiditatem, vi cujus hoc ferè ſolum curant in vita ſua, ut miſerabiles hujus mun-

di divitias acquirant & possideant, earúmque jacturam non incurrant. Erige igitur, & de novo inflamma & fidem & spem tuam, atque ubi virtutum istarum ductu mundus alius adeò divitiis abundans, & tanta refertus beatitudine tibi monstratus fuerit, difficile non erit, totum illud, quod vides, totúmque illud, quod possidere in hac lacrymarum valle potes, instar stercoris contemnere. *Inenarrabile, quod credimus; immensum est, quod speramus; non debet ergo vulgare esse, quod vivimus.* (*Sixtus 3. in Bibliot. P. P.*) Relinquamus rerum istarum æstimationem infidelibus, quorum infelix, & densissimis errorum tenebris oppressus ad agnoscenda majora erigere se se animus non potest; nos verò Christianæ fidei lumine illustrati, discamus tandem aliquando terram, utì promeretur, pedibûs proculcare: *Intra in lutum, & calca. Nah. 3. v. 14.*

Ultimum contra avaritiam remedium est, ut, postquam divitias generoso pióque contemptu despeximus, easdem nobis in perpetuum conservare studeamus, efficiendo nimirum, ut ad augendi supremi Numinis gloriam deserviant. Hoc est illud, quod Christus Dominus expresè suo in Evangelio nos docet, in quo, ubi dixerat, ut ne terrenis opibus cor apponeremus, utpote quæ ex se ipsis defectuosæ sunt, multísque pereundi di-

discriminibus subjectæ, & si non ab alio, certè ab universali illo latrone, nimirum morte, auferendæ: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur; & ubi fures effodiunt, & furantur. Matt. 9. c. 19.* statim subjungit, ut easdem in cœlo deponere studeamus, ubi in omnem æternitatem indemnes conservantur: modum insuper addit, quo istud dare effectui valeamus, si nempe pauperum manibus consignemus: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veteraſcunt; thesaurum non deficientem in cœlis, Luc. 12. v. 33.* Unum ex maximis beneficiis, quæ æterni Patris Filius è cœlo in terram descendens nobis contulit, fuit hoc, quòd infamem illum, quem vitium his ipsis bonis terrenis inusserat, characterem eradicârit, cùm secretum quoddam nobis aperuerit ita præsentes divitias usurpandi, ut ex veneno fiat remedium, & ex acerrimis salutis nostræ hostibus efficacissima evadant nostræ prædestinationis instrumenta; quando scilicet eas expendimus in DEI cultum mediante virtute religionis, vel in subsidium pauperum mediante eleemosyna. Et loquendô de hac posteriore, quæ divitibus debet esse familiarissima, considera, rem nullam existere, quam tanto cum rigore DEUS à divitibus exigat, atque charitatem erga egenos; & similiter nihil esse, quòd iisdem

DEUS cum majore libertate remuneretur, quàm hanc ipsam charitatem. Et quantum quidem ad primum attinet, non invenietis in toto Evangelio, quòd Christus Dominus in ulla alia materia significantiùs suam mentem aperuerit, velle se huic ipsi liberalitatis, atque justitiæ suæ effectus commensurare; misericordibus promittendo misericordiam; crudelibus verò severitatem intentando. *Quid potuit nobis majus Christus edicere? quomodo magis potuit misericordiæ nostræ opera provocare? inquit S. Cyprianus L. de oper. & Eleem.* Non solùm apertè se declarat Benignissimus Servator, quòd illud, quod in pauperes elargimur, tanquam personæ suæ propriæ oblatum velit acceptare, constituens illos tanquam Legatos repræsentantes suam Majestatem & tanquam creditores omnium obligationum, quibus ei obstringimur; sed eò insuper progreditur, ut totum genus humanum propter delictum istud fundamentale, crudelitatem scilicet erga indigentes vocet in judicium; ita, cum in hoc ipso judicio nullam de blasphemiis, nullam de perjuriis, nullam de homicidiis, nullam de adulteriis & furtis faciat mentionem, sed de eo solummodò, quòd suis in distribuenda eleemosyna partibus defuerint, clarè intelligerent, Christiani isthuc defectum errorem esse coram oculis DEI non minùs, quàm omnia reliqua scelera execrabi-

bilem. Et profectò si sententiæ contra divitem epulonem pronuntiatæ motiva attentô animô considerares, videres vel unicam, vel saltem primariam fuisse ipsius damnationis causam, quòd seipsum omnis generis deliciis saginârit, è contrario autem in pauperculum crudelitatem exercuerit. Certè, si sancto Evangelio negare fidem non velimus, fateamur oportet, quòd multi absque numero ad æterna supplicia abeant præcipites, quia debita in egenos charitate non utuntur; cùm ex ipsius supremi Judicis ore sciamus, quòd istud delictum in tremendo illo extremi Judicij die reproborum multitudini palmam exprobraturus sit, atque in eosdem ob hanc potiùs, quam ullam aliam culpam æternæ damnationis sententiam fulminaturus. Quapropter, si non omne in te extinctum est rationis lumen, si non plùs amare divitias, quàm æternam animæ tuæ salutem velis, solicitè tibi quoad hanc partem provide. Attende diligenter, ad quam summam ascendant eleemosynæ tuæ ad anni initium; præcipuè verò illis annis, quibus ob sterilitatem terræ majore pauperes penuria premuntur; & vide, an illud, quod in indigos distribuis, & horum necessitati, & redituum tuorum temporalium, quos Divina tibi Liberalitas concessit, multitudini sit proportionatum. Consilium quoque boni confessarij exquire, ut eò certior exi-

ſtas, te bene & perfectè hoc præceptum adimplere, cujus obſervatio tanti tua intereſt, quanti intereſt benignam olim coram Divino Tribunali ſententiam obtinere. Imò, ſatage etiam, ut obligationum tuarum terminos excedas, ut ſortunatiſſimum eleemoſynariorum referri in numerum merearis, quibus genus omne bonorum eſt promiſſum.

Profectò DEUS extremo cum rigore à divitibus exigit, ut piò ſubſidiò pauperi ſubveniant; ſed tanta quoque cum liberalitate ſe illud, quod in eorum gratiam expenderint iisdem redditurum promittit, ut determinare ſit planè difficilè, cuinam ex utrisque, an ſcilicet huic liberalitati, an verò illi rigori primæ debeantur. Tota ſacra Scriptura hujusmodi promiſsîs plena eſt, cùm identidem in ea Dominus DEUS omnipotenti Verbo ſuo certos eſſe jubeat, quòd benignos & liberales in egenos ab omni malo liberaturus, & omnibus viciſſim bonis ſit repleturus. Imprimis enim eosdem liberos fore à paupertate pollicetur: *Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius in benedictione erit Pſalm 36.* Filij illorum, qui continuò cum rerum penuria colluctantibus miſericordiâ ducti compatiuntur, eorúmque indigentiam oblata ſtipe ſublevant. copioſa benedictione à Rege cœlorum replebuntur. Præſens ſemper in perſecutionibus, quibûs fortè exagitabuntur, auxi-

xilium spondet. *Eleemosyna super scutum Potentis, & super lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit. Eccl. 29. v. 16.* Promittit insuper, quòd eos velit liberare à morte: *Eleemosyna à morte liberat. Tob. 4.* Et, postquam mortui fuerint, liberaturum se illos in divino judicio pollicetur: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Psalm. 40.* Atque ut omnia paucis complectar, nulla est miseria sive in hac vita, sive in futura, contra quam eleemosyna non sit remedium longè potentissimum: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eccl. 29. v. 15.* Simili prorsus ratione eleemosynam facientibus promittit omne bonum; & primò quidem illis spondet bona temporalia, gravissimis verbis contestans, eum, qui pauperum necessitatem sublevet, nunquam eò deventurum, ut sublevari ab alus necesse habeat, sicuti vicissim ille, qui pauperes contemnit auxilium ipsius implorantes, eò redigetur, ut ad aliorum recurrere misericordiam, illorúmque adjuvari auxilio compellatur: *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despiciet deprecantem, sustinebit penuriam. Prov. 28. v. 27.* Promittit quoque bona spiritualia gratiæ: *Qui sequitur misericordiam, inveniet vitam, justitiam & gloriam. Prov. 21. v. 21.* Et quod adhuc plus est; horum ipsorum bonorum etiam perseverantiam

pollicetur, quæ est gratia omnium gratiarum maxima, beneficium maximum omnium beneficiorum: *Eleemosyna gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Eccl. 17. v 10.* Promittit præteritorum peccatorum veniam, & præservationem à futuris: *Eleemosyna ab omni peccato liberat. Tob. 4.* Promittit denique in fine vitam æternam in Paradyso: *Eleemosyna est, quæ facit invenire misericordiam, & vitam æternam Tob. 4.* Cogita itaque, obsecro, an in terra reperire sit stultitiam, quæ similis existat illi, qua avari divites insaniunt, qui, cùm pauxillô pecuniæ omne genus bonorum temporalium juxta & æternorum possent sibi comparare, eligunt potiùs esse crudeles in semetipsos, ut ne misericordes in pauperes existant. Dicunt, asservare se suas divitias pro suis necessitatibus; sed enim, quænam major necessitas, quàm ab omnibus tum hujus, tum alterius mundi malis se liberare, atque æternum in cœlo præmium lucrari? Nobilis quidam, eò quòd S. Theresiæ domum quandam ad fundandum Monasterium donâsset, moriens deinde post duos menses, cùm confiteri non posset, perfectam à DEO contritionem, & quidem si ipsius vita, quam eòusque vixerat, spectetur planè prodigiosam in præmium & compensationem accepit, atque ad gloriam emigravit sempiternam. (*L. Fundationum c. 15.*) Militum aliquis, eò quòd S. Fran-

Franciſco eleemoſynam dediſſet, admonitus abeodem fuit, ut ſinè mora conſcientiæ arbitrum quæreret, atque peractâ exhomologesî ad iter æternitatis ſe præpararet, quod poſt brevem temporis lapſum repentina morte ſublatus eſſet ingreſſurus, utì revera etiam juxta S. Bonaventuræ teſtimonium evenit. Edic jam, ad quamnam neceſſitatem majorem his aliísque, quos afferre in medium poſſem, ſervire ipſorum divitiæ voluiſſent? hac profectò ratione precioſum efficiebant illud, quod antea ne quidem hilum valuerat, ſimúlque in theſaurum perpetuum in cœlo permutârunt illud, quo paucos intra dies eos in hac terra haud dubiè mors ſpoliâſſet. Agedum paulò altiùs hæc omnia mentis tuæ oculis conſidera, & non dubito, quin manifeſta eorundem veritate convictus ſalubriora tandem ſtatuas: *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas; quia poſt tempora invenies illum. Eccl. 11. v. 1.* Non multum temporis præteribit, cùm tu quoque confiteberis, illud ſolummodo & fuiſſe, & eſſe tuum, quod in ſubſidium pauperum expendiſti: *hæc habeo, quæcunque dedi*, & totum illud, quod adhuc reliquum, ammiſſum à te eſſe in æternum.

LECTIO VIII.

DE IMPEDIMENTO,

Quod affert ſaluti durè cum proximo agendi ratio.

INter omnes Legislatores humanos ne quidem unicus reperitur, qui amorem proximi præceperit. Solus DEUS extitit, qui amabiliſſimam hanc legem diligendi omnes homines homini præſcripſit, & hoc quidem tanta cum energia, ut hanc dilectionem ipſi Sacrificio prætulerit: *Diligere proximum, ſicut ſeipſum, majus eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis. Marc. 12. v. 23.* Et ratio hujus erat; quia homo corruptæ ſuæ naturæ pondere ad ſeipſum inclinatus, tantummodo ſeipſum diligit, parùm interea ſolicitus, an etiam alij diligantur; cùm tamen DEUS, qui pro ſuæ Bonitatis exceſſu, ſummo homines tanquam ſuas creaturas affectu proſequitur, in iis amandis non velit eſſe ſolus; ſed exigat inſuper, ut quilibet tanquam frater diligatur ab omnibus, atque ut totus mundus ſecum in eo conſpiret, quòd unicuique bene velit. Hæc lex amoris, lex ignis, ſed cœleſtis; *Ignea Lex Deutr. 33. v. 2.* primis Chriſtianis tanto erat in pretio, ut per hanc ſolam ab infidelibus ſe ſe diſtinguerent; unde omnes ſimul cor

unum

unum esse videbantur: *Cor unum. Act. 4. v. 32.* cui minutissima quævis divisio lethalis accidit. Nos autem ea vivimus tempora, de quibus lamentari cum Propheta debemus: quomodo obscuratum est hoc aurum charitatis! & quomodo suum splendorem mutavit communitas fidelium! *quomodo obscuratum est aurum; mutatus est color optimus! Thren. 4. v. 1.* Proximus tanquam extraneus, non verò ùt frater respicitur; & ubi commodum proprium, atque naturalis propensio sua cum face non præcedit, omnium corda tum erga seipsa, tum erga alios intolerabili duritie congelata remanent, atque impietatis indicium manifestum ostendunt, quemadmodum Spiritus sanctus nos admonet: *viscera impiorum crudelia. Prov. 12. v. 10.* Haud quaquam proinde facturum me abs re existimo, si vindicare vos ab hoc errore adeò funesto allaborem, ostendendo vobis & illius damna, & remedium.

Tria præcepta posuit DEUS, & in quolibet ex his tribus mandavit, ut proximum diligamus, & hujus ipsius amoris semper ampliorem mensuram assignavit. Prima Lex, fuit lex naturæ omnium cordibus inscripta, & in hac pro charitatis mensura statuebatur, ut ita tractemus proximum, utì tractari ab aliis nos ipsi desideramus: *Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, Matt. 7. v. 12.* Secunda Lex, fuit scri-

ſcripta Lex Moyſis; & in iſta poſitum erat pro menſura charitatis, diligere proximum, ſicut ſeipſum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matt. 22. v. 40.* Tertia Lex eſt Lex gratiæ à Chriſto Domino promulgata, & in hac lege accrevit menſura charitatis absque menſura; cùm Verbum Incarnatum illi pro regula ipſummet ſuum amorem præpoſuerit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut & ego dilexi vos. Joa. 13. v. 34.* Quamobrem, ſi uſque adeò cordi eſt DEO amor proximi; ſi ſemper magis hujus amoris fines dilatavit; & ſi in novo teſtamento ad ultimum usque terminum, atque ad usque *non plus* ultra eosdem extenderit, quantò, creditis, odiò tam communem inter Chriſtianos duritiem abominabitur? Iſtud profectò non eſt, habere in ſe ſpiritum JESU Chriſti, qui totus ſuavitas eſt, & dulcedo, *Spiritus meus ſuper mel dulcis: Prov. 24. v. 27.* ſed eſt habere ſpiritum infidelium: *Spiritus Ægypti in viſceribus ejus. Iſa. 29 v 3.*

Atque ut magis ad ſingularia veniamus, erga tria potiſſimùm, ùt ego quidem exiſtimo, hominum genera Chriſtiani ſuam hanc duritiem apertiùs oſtendunt; nimirum erga inferiores; erga pauperes; erga illos, à quibus offenduntur.

Primò itaque duri ſunt erga inferiores, & præcipuè quidem erga famulos ſuos; atque ne-

necessarium est, ut divinum illud Sapientis monitum ipsis in mentem revocetur, ne scilicet tanquam Leo furore percitus suis in ædibus commorentur: *noli esse in domo tua quasi Leo, evertens domesticos tuos. Eccl. 4. v. 35.* Age jam, circa hoc punctum temetipsum examina paululum, tuámque, quam in tractandis famulis tuis tenes, methodum observa. S. Martinus adhucdum Catechumenus servum suum ùt fratrem humanissimè habùit. S. Carolus Borromæus, quando suam Diœcesin visitabat, ut famuli sui quietiùs dormirent, ad illos sub auroram excitandos ipsus se offerebat; & si fortè contingeret, ut eorum stationes ante tempus transiret, laneo suspensóque pede ambulabat, ne facto tumultu quietem interturbaret. Imò etiam famuli Naamani Idololatræ eundem suum Patrem appellabant, eò quòd ab eo non ùt servi, sed ùt filij haberentur: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras. 4. Reg. 5. v. 13.* Atque ideo, quàm turpe, quàm indecens jam foret, si tu, qui Christiano nomine gloriaris, nobilitatis tuæ gloriam in eo positam esse putares, quòd & verbis & factis operarios tuos, famulorúmque tuorum greges torqueas, in eosdémque majore, quàm in canes, aut equos rabie desævias? Equis, si cursu fatigatos vides, quiescendi tempus designas; eorundem sanitati adhibitis opportunè

nè remediis, emisso è venis noxio, aut superabundante sanguine solerter invigilas; ut conquisitis herbis refrigerentur, & non nisi moderato labore onerentur, sollicitè præcaves; O! quot famuli viverent contentissimi, si pari lenitate, si cum simili compassione à suis Dominis tractarentur! Centurio ille, de quo S. Evangelium meminit tanto amore servum suum ægrotantem complectebatur, ut in persona propria Redemptorem adierit & submississimis precibus, venire, & reddere illum sanitati dignaretur, rogaverit; & ait sacer Textus, quòd tanti eundem, atque pretiosum thesaurum æstimârit: *Erat illi pretiosus. Luc. 7. v. 2.* Jam verò hodierno tempore inversa est alea, & ex Dominis non pauci confestim illos suo è famulitio dimittunt, quos aliqua tentari ægritudine advertunt; & ubi antiqui Christiani ægrotos etiam extraneos conquirebant, ut suas eosdem in ædes introducerent, iisque Christiana charitate inservirent; hodierni Christiani etiam domesticos ejiciunt. Ubi est charitas! ubi compassio! opprobria, injuriæ, dura castigatio; &, cùm Dominus DEUS in antiqua Lege durè haberi vel ipsa mancipia prohibuerit: *ne affligas eum per potentiam: mei enim servi sunt. Lev. 25.* túne male tractare Christianum audebis, quem facilè in ultimo judicij die te superiorem conspicies, & mutata scenâ, assumptis-

ptísque veſtimentîs propriîs tu inferior, ille verò & Princeps & Rex exiſtet.

Major adhuc eſt crudelitas, quæ in pauperes exercetur, ſive compaſſionem animi, ſive manûs parcitatem attendamus. Et profectò, hic eſt ſpiritus mundi proprius, nemini, præterquam ſibi ſoli compati, nihil, niſi intereſſe proprium cordi habere. Ita divites illi tam acerbè à Propheta reprehenſi, ad iſtud tantummodo curas convertebant, ut ſuperbîs conviviîs, mollibûs lectîs, vinîs preciosîs, omníque unguentorum deliciarúmque genere ſuum corpus delicatè mollitérque haberetur; & propterea nullatenus unquam pauperculo compatiebantur: *Ingredientes pompaticè domum Iſraël, qui dormitis in lectis eburneis, & bibitis vinum in phyalis, affluentes deliciîs, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph. Amos 6. v. 6.* Quòdſi videant, audiántve alienæ paupertatis miſerias, impia illa, quæ olim fratricida Cainus effutierat, verba illorum quoque ex ore ſonant: *Nunquid cuſtos fratris mei ego ſum? Gen. 4. v. 9.* Si nihil habent, nihil habeant per me licet; ſi rerum penuriam patiuntur, patiantur per me licet; quis me ad ferendum ipſis auxilium obliget? nunquid panem domeſticis ſubtraham, ut extraneos ſuſtentem? *Tollam panes meos*, quondam crudiſſimus Nabal ajebat, *tollam panes meos, & carnes, & pecora; & dabo viris, quos ne-*

nescio, unde sint? 1. Reg. 25. 11. Ita hodiedum non pauci non modò superbô superciliô; verùm etiam cum indignatione miseros aspiciunt, ac si diversi generis homines existerent, alióque forent, quàm ipsi, ex limo concreti: *Sicut abominatio est superbo humilitas; sic execratio divitis pauper. Eccl. 13. c. 24.* Leo cœterà ferociſſimum animal, oblatô pabulô ſatiatus rabiem deponit, pacatúsque incedit; iſti verò, quantò copioſiùs bonis temporalibûs infarti ſunt, eò truculentiùs ferociunt; nempe, quò remotiores à periculo in has miſerias labendi ſe ſe exiſtimant, tantò minùs ad illis compatiendum inducunt animum, quos in easdem jam recidiſſe conſpiciunt.

Quodſi proinde tam durus eſt animus, quomodo poſſibile ſit, ut non manus quoque ſit tenaciſſima. Dicit Ariſtoteles, pinguiores minùs eſſe fœcundos, eò quòd omnem cibum in alimentum proprium convertant; id ipſum frequenter hìc quoque contingit, ut ditiores minùs eleemoſynæ in pauperes diſtribuant, quàm illi, qui mediocris ſint fortunæ; quia omnia in proprium augmentum convertunt, ac ſi ſoli propriè hanc terram incolerent; quemadmodum ipſis Propheta in faciem exprobrat: *Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? Iſa. 5. v. 4.* An mundum in veſtri tantummodo gratiam conditum eſſe arbi-

tra-

tramini? Atque ideo, quis sufficienter jam queat comprehendere, quantùm isthæc durities Christianæ Professionis fundamento contrarietur? & tamen in hac sola tota temporum nostrorum perversitas non terminatur, in quibus, qui adeò durus, immitísque est in pauperes, à quibus nihil unquam mali sustinuit; quàm durus erga illos existet, à quibus qualicunque demum injuria fuerit lacessitus!

Si Christianam communitatem lustrare oculô volueritis, ejusmodi delicatîs hominibûs plenam deprehendetis, qui minimam quamvis injuriam gravissimè sentiunt, conceptámque iracundiam quàm diutissimè conservant, & ob leviſſimum quodvis damnum superabundantem satisfactionem depoſcunt. Memoriæ proditum est de infantulo quodam, quem natum fuisse sinè ossibus ajunt, & adeò tenerum, ut butyri instar mollis existeret; unde continuò, ne moreretur, in cubiculo, ubi continuus calor, retineri debebat; quanquam adhibitîs etiam hìsce industriîs vitam haberet florum, qui nascuntur sub auroram, sub vesperum autem rursum denascuntur. Ita prorsus se habent multi è Christianis, qui licèt hæredes sint & nominis, & exemplorum Sanctorum illorum Martyrum qui crudelitatem tormentorum & immanem carnificum suorum ferociam virili patientiâ fatigârunt;

nihilominùs ab illorum factis omnino degeneres, propter unicum verbulum, propter levem etiam jocum, propter unicum, qui fortè fortuitò proximi ore excidit, non nihil pungentem terminum, repentè injuriosa erga offendentem erumpunt in dicteria, atque confestim vindictam meditantur. Non loquimur hìc de illo hominum genere, qui præstare obedientiam mundo, & negare eandem Evangelio sibi gloriæ ducunt; sed de illis jam loquimur, qui veros se esse Christianos profitentur; atque inter hos etiam quàm paucos invenire est, qui, postquam nihil se velle reddere mali offendentibus affirmârunt, non licere sibi arbitrentur, semper oblata quavis occasione pro libitu eosdem reprehendere, gaudere eorundem infortuniis, atque ad istorum aspectum semetipsos consolari dicendò, quòd sui loco justam Divina Nemesis ab illis vindictam poposcerit? & verò, dummodo illa iracundiæ flamma, quæ tam subitò faciléque illorum in cordibus exardescit, brevi iterum & ardere, & emittere fumum desisteret: sed enim, non rarò evenire contrarium videmus; cùm tempus quod eorum mederi indignationi deberet, eandem magis exasperet, iráque vertatur in odium, quod ira quædam est inveterata. Divina Clementia vestrum animum custodiat, ut ne unquam simili passione arrodatur, eò quòd, sicuti ille, cui unquam cro-

co-

codillus suos dentes infixit, fortè nunquam sanitatem recuperabit: *Quod dentibûs lacerauit, nunquam sanatur, (Plin.)* Isthæc aversio semper cum iis vivet & non morietur, ne quidem quando ipsi mortui fuerint; quia eandem filiis suis & consanguineis pro hæreditate relinquent: ita, ut etiam ipsi cum indurato corde in alterum mundum sint migraturi: *Descenderunt in profundum quasi lapis. Exod. 15.*

DAMNUM,

Quod affert saluti isthæc durities.

DAmnum istud manifestè apparebit, si irrefragabilem quandam Evangelij veritatem exponamus; quæ non est alia, quàm quòd mensura nostræ misericordiæ erga proximum, futura sit mensura misericordiæ DEI erga nos ipsos. In omnibus aliis virtutibus se nobis DEUS tanquam ideam proponit, & gravissimîs verbîs nobis inculcat: *Estote sancti, quia ego sanctus sum. Lev. 19. v. 2.* Et Incarnata Sapientia magno quoque verborum pondere nos adhortatur *Matt. 11. v. 19. discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* At verò ubi de misericordia agitur, invertitur hic ordo, ùt ait S. Petrus Chrysologus, nósque ipsos DEUS vult esse quasi prototypon, nostræque misericordiæ suam conformare; *Ordo invertitur, ut DEUS facta nostra imitetur.* Qua pro-

pter mi Christiane, pergit dicere Vir sanctus, tu ipse tibi mensura positus es Divinæ in te misericordiæ: *Homo, tu tibi Misericordiæ factus es mensura;* & quantam desideras, ut in te DEUS misericordiam operetur, tantâ tu modò pietate in proximos utâre, & esto securus: *Quantum quæris Misericordiæ, fac tantum; in te est indulgentiæ jus; tu tibi remissionis auctor es constitutus* Dubitás forsitan, an non per nimiam hæc dicta esse auxesin credere quis possit? sed mentem adverte, & facilè sacri Evangelij Codex omne tibi dubium eximet: *Dimittite, & dimittemini; date, & dabitur vobis; eâdem quippe mensurâ, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Luc. 6. v. 38.* Quibûsnam terminis magis significantibûs verba sua Divina roborare amabilissimus Redemptor potuisset? quibûsnam vocibûs magis expressis istam nobis manifestare veritatem valuisset? Ignoscite, inquit Divinus Magister, veniam date persequentibus vos; & vicissim ego vestra vobis debita condonabo; extendite manus ad sublevandam proximi miseriam, atque ad avertendam vestram ego meas extendam, & certi estote, Divinam meam Providentiam firmissimè statuisse in gubernandis hominibus eum in modum procedere, quem illi inter semetipsos observârint. Quapropter quid facere DEUM existimatis, quando permittit, ut aliqua vos quispiam injuria lacessat? summum vobis be-

ne-

neficium confert; quia ſuæ gratiæ clavim veſtris manibus offert, & dicit: accipe tantum de meo, quantum dare vis de tuo, & remiſſio debiti à te conceſſa tuo proximo, ſit remiſſio debitorum tibi facta à tuo Domino. Et tu interea in lamenta erumpis, in iras & furores exſurgis, & acceptæ injuriæ gravitatem exaggeras, illius loco, quòd ad tuam ignorantiam animum reflectas, dicásque: *Quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? Pſalm. 48.* Cur mœſtus ingredior propter injurias, quibus affectus ſum, aut adhucdum afficior ab adverſario meo? ſi bono pacatóque animo condonavero, nunquid ſecurus ſum, quòd mea mihi peccata DEUS ſit dimiſſurus? Ita planè eſt; & tamen illius loco, quòd optatiſſimam hanc occaſionem arripias, atque Divinæ Miſericordiæ ærarium ingrediaris, precioſiſſimósque exinde theſauros depromas, inſanâ phreneſi, clavem, quæ ad hos tibi januam aperiret, abjicis. Verùm ne hìc quidem tuæ dementiæ finis; ſed inſuper dum Divinæ tibimet pietatis portam obſeras alteram illam diſtrictæ juſtitiæ aperis, & provocato exinde ſcelerum tuorum Judice, illorum debitorum memoriam renovas, quæ haud dubiè, ſi tua inſania abfuiſſet, perpetuò in oblivionis profundo jacuiſſent! Jam verò, an inimicorum aliquis tibi majus inferre damnum valeret, cùm totus infernus tuam in perni-

ciem emissus tam magno te afficere malo non posset? Quid juvat, si tuas plagas obliges dicendô, nihil te mali tuo adversario optare, sed ei tantummodo loqui non velle? bene habet: ecce! DEUS tibi paria rependit, non loqui vult ampliùs ad cor tuum, nec tuis precibus respondere: *DEUS constituit tibi regulam in debitore tuo; quod facies, ipse faciet:* ponderosè ait S. Augustinus, *serm. 15. de Verbis Domini.* Sed enim, ingratus est, reponis mihi, infamis, & haudquaquam talis, qui veniam plenam mereatur; verùm & tu quoque à DEO ingratus diceris, indignúsque, cui plenam debitorum remissionem largiatur. Si ignosco illi, si amicîs eundem oculîs intuear, perget ille inimicos nutrire spiritus, & impacta de novo injuria vulnus vulneri superaddet. Ita pariter dicet Dominus: si veniam ei concedo, si beneficia confero, mea bonitate, meis beneficiis tanquam mali incentivo ad relapsum abutetur. Est intolerabilis, non possum ampliùs, non possum. Id ipsum DEUS quoque dicet, & jure quidem longè æquiore, atque ob rationes infinities graviores: *Non poterat ultrà portare Dominus.* Interim commendabis te DEO tuo, & ille suas aures occludet, ut tua suspiria non audiat: confiteberis, sed confessio tua ad confirmanda tua peccata, non verò abolenda deserviet; absolveris à sacerdote, qui cordis tui arcana non

non introſpicit; haudquaquam autem ſupremus te pariter Judex abſolvet: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccatum illius ſervans ſervabit. Eccl. 28. v. 11.* Ut quid igitur tot replicas? ùt quid tot rationes? ùt quid tot difficultates? vultísne DEI miſericordiam? ſi non velitis, exaudiemini. Quodſi autem anhelô eandem animô ſuſpiretis, proximo veſtro cordis penetralia panditote, matrísque inſtar cum illo agite, quæ filiorum ſuorum defectus abſcondit, excuſat, iisdémque animum addit, factas moleſtias obliviſcitur, bonum pro malo rependit: *Te judicem facit DEUS in condonatione tuorum criminum; ſi præter veniam datam, etiam eum pro amico habebis, eodem modo DEUS erga te afficietur:* Ita vobis ſacroſanctæ Evangelij doctrinæ ſubnixus S. Joannes Chryſoſtomus promittit.

Poſtquam hanc Divinæ Miſericordiæ regulam applicâſtis veſtræ miſericordiæ erga illos, qui vos offendunt, eandem jam applicate veſtræ miſericordiæ erga egenos, quandoquidem DEUS eandem utriusque habeat rationem: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ut non avertatur à te facies Domini. Tob. 4. v. 7.* Spiritus ſanctus eſt, qui hìc loquitur: non præcipit, ut omni pauperi eleemoſynam porrigatis; fieri namque poteſt, ut veſtra vobis fortuna non permittat, ut toties manum veſtram aperiatis; ſed jubet, ut eorum miſeriis

benevolo affectu compatiamini, ut benigno eosdem oculo aſpiciatis, ut ſaltem verbis promptum ad ferendas ſuppetias animum ſpirantibus, eis ſolatium aſpergatis, & DEUS hanc vobis charitatem compenſabit, ſed cum fœnore ipſius immenſæ libertati conveniente; cùm ibi eſſe avaritia non queat, ubi egeſtas eſſe non poteſt: *Qui miſeretur pauperis, beatus erit. Prov. 4. v. 21.*

Denique hanc ipſam regulam cuilibet proximo applicate, quem ſi benignè habueritis, benignè vos quoque benigniſſimum Numen habebit. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Luc. 6. v. 36.* apertè vobis dicit Judex veſter Divinus. Sicuti è contrario, ſi erga proximum veſtrum rigore utemini, nihil quoque ab ipſo hoc Judice, niſi rigorem exſpectate; ab æterno quippe Decretorum Divinorum adamanti inciſum eſt, illum absque miſericordia judicatum iri, qui miſericors in proximos non extiterit: *Judicium ſinè miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam. Jac. 2. v. 13.*

REMEDIUM

Ad tollendam hanc duritiem.

PRimum hìc remedium, ſicuti alibi, eſt devota Oratio, qua ſupplices ad DEUM recurratis, ut cor veſtrum emolliat, debitámque

que erga proximos charitatem ei instillet. Nullum est tam clarum æternæ Prædestinationis signum, quàm isthæc teneritudo charitatis. Omnes prædestinati à Propheta filij olei nuncupantur: *Filij olei, Zach. 4. v. 14.* nempe propter illam compassionem, propter illam benevolentiam, propter illam benignitatem, quam in seipsis conservant, & suo tempore erga aliorum miserias commonstrant. E contrario illa cordis durities tum in verbis, tum in vultu ostensa, & mundi assectis adeò propria, character quidam est oppidò manifestus æternæ reprobationis: *Cor durum habebit malè in novissimo. Eccl. 3. c. 27.* Vos proinde, si in votis vobis est, vestram salutem in tuto reponere, instanter ad Divinam Clementiam suspirate, ut amoto corde saxeo, cor vobis carneum largiatur, illáque teneritudine vestra miteſcere viscera faciat, quæ ipsius electos à reprobis distinguit: *Induite vos, sicuti electi DEI, sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem; supportantes invicem & donantes invicem, & donantes vobis, si quis adversùs aliquem habet querelam. Colos. 3. v. 12.*

Secundum remedium est, proximi insistere pedibus, ùt solemus dicere: *Intellige, quæ sunt proximi tui, ex te ipso. Eccl. 31. v. 18.* Considera itaque, quòd, sicuti tu modò Dominus es, & illi famuli; tu dives, & illi pauperculi; ita viciſſim fieri potuisset, ut illi divitiis abun-

darent, te interim cum paupertate luctante; ut illi hunc ipsum, quem tu modò tenes, dignitatis gradum occuparent, te interim ad abjectam famulorum conditionem depressô; & siquidem ita contigisset, qua ratione, obsecro, tractari ab aliis desiderares? an elatô superciliô, & reprehensionibûs, an dira tyrannide ac repulsa; an verò omni genere beneficentiæ & charitatis? Quam igitur ob rationem non tu quoque exinde cum proximo agendi methodum arripis, quam tamen non modò Christiana fides, sed vel ipsa etiam natura te docet?

Tertium remedium erit, quod sequitur. Omnibus nobis in sacro Baptismate donum omnino insigne Divina Bonitas largitur, cùm animæ nostræ habitus trium virtutum Theologicarum infundat, fidei, spei, charitatis: vi quorum dein has ipsas virtutes Divinas valeamus exercere: verùm potior Christianorum pars hæc talenta otiosa retinet, & quandoque sub tanto vitiorum cumulo sepelit, ut in medio tam grandis thesauri paupertate marcescat: *Thesaurus invisus, quæ utilitas? Eccl. 41. v. 17.* Assuesce jam tam grande hoc capitale ritè impendere, & præcipuè quidem in finem illum, quem in præsentiarum intentô digitô monstramus, quique non est alius, quàm benè tractare proximum; quod ut fiat, primò fidem applica. Fides te docebit in proxi-

ximis tuis, & quidem in pauperibus longè vivaciſſimè Chriſtum JESUM intueri. Duo hominum genera amabiliſſimus Redemptor reliquit, qui ſuam in mundo perſonam repræſentarent, ſuperiores nimirum, & pauperes. De ſuperioribus dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Luc. 10. v. 16.* Similî modô de pauperibus ſuam mentem aperuit, atque edixit, tam bonum illud, quàm malum, quo egeni afficiuntur, haud quaquam in iſtis ſubſiſtere, ſed in propriam ſuam perſonam redundare. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25. v. 40.* Jam, ut DEUM in ſuperioribus agnoſcamus, ſufficit fides communis; at verò, ut DEUM in pauperibus intueamur, fides ſelecta requiritur, quæ è transverſo illos centones penetret, quibus involuti ingrediuntur, atque ſub iisdem latentem Numinis Majeſtatem exhibeat: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Pſal. 40.* Hæc fides effecit, ut Robertus Franciæ Rex, quocunque ſive equo, ſive curru vectus proficiſceretur, mille ſemper pauperibus ſtipatus, eosdem ſuam cuſtodiam appellaret. Hæc fides in cauſa fuit, quòd Joannes Alexandriæ Patriarcha mendicos, ſuos Dominos nuncupârit. Hæc fides eò deduxit S. Margarittam, & S. Hedwigam, hanc Poloniæ, illam Scotiæ Reginam, ut proſtratæ in genua illis inſervirent, pedum ſordes ablue-

luerent, & putidis eorundem vulneribus heroicum oſculum infigerent. Hæc fides S. Paulinum, S. Seraphionem, S. Petrum Telonarium eò permovit, ut ſeipſos in mancipia divenderent, quò per ſe totos, & modô omnî poſſibilî proximorum neceſſitatibus ſuccurrerent: & hæc fides, quia uſque adeò defecit noſtrîs temporibûs, ideo plerumque pauperes ſinè ſubſidiô, ſinè ſolatio deſtituuntur.

Secundò applica ſpem. Aut renuntiemus S. Baptiſmo neceſſum eſt, & fidem divinis promiſſionibus denegemus, aut extremam noſtram dementiam fateamur oportet, quòd, cùm proximis miſericordiam exhibendô adeò facilî negotiô æternam conſequi ſalutem poſſemus, hoc ipſum tamen exequi negligamus, noſtri potiùs, quàm aliorum inimici. Finge parumper animô, Divinam Bonitatem nitidam & cui nihil adhucdum inſcriptum ſit, chartam de cœlo tibi porrigere, ac dicere: ſcribe & nota in hoc folio, quidquid à me boni deſideras, ſive deinde animam illud, ſive corpus concernat, & fidem meam divinam oppignero, quòd conceſſurus ſim certiſſimè quantumcunque in illa petieris, dummodo animæ tuæ ſaluti non adverſetur: quid boni, amabo, cœleſti huic folio inſcripturus eſſes? Ecce autem! nullósne pauperes & nudos tua in regione agnoſcis? nullos famelicos, infirmos, captivos, ignorantes, ingratos

præ

præ oculis habes ; omnes isti sunt quædam charta, cui inscribere debes bonum illud, quod impetrare à DEO desideras, sublevandô indigentiam, compatiendô eorundem miseriis; illos visitandô atque instruendô, tuam pro ipsis fidem oppignerandô, gressus, verba, & quidquid ex opibus superfluum est in illorum emolumenta convertendo : & tu fatali sopore ligatus noxias hìc moras nectis, atque occasionem ad colligendos tibi thesauros perpetuos adeô opportunam transire absque fructu permittis ? Putásne, te quidquam damni passurum, aut redigendum ad incitas, si pauxillum terræ expendis, ut totum cœlum acquiras ? nimiúmne tibi videtur, pauculos nummos erogare, ut regnum tibi sempiternum compares ? an non satis compensatum esse arbitraris panis tui frustulum possessione bonorum omnium, quæ vel ipse DEUS possidet ? num te magni quidpiam præstare pauperi existimas; cùm dare eidem eleemosynam propriè nihil sit aliud, quàm dare illam tibimetipsi ? Audi consilium S. Petri Chrysologi planè divinum, qui ita dicit: *Da pauperi terram, ut accipias cœlum ? da nummum, ut accipias regnum ; da micam, ut accipias totum ; da pauperi, ut dos tibi. Serm. 8.* Agedum igitur ambabus, ùt dicere solemus, manibus tam salubre consilium prehende ; omnî studiô satage, ut tantum benevolentiæ atque auxilij pro-

proximo tuo exhibeas, quantum tui tibi conditio ſtatûs permittit; aſſiſte iis, atque eorundem operam tuô ſubſidiô ſuffulci, qui proximorum tuorum promovere commoda permiſſiones ſacras, aut alia pietatis exercitia contendunt; & ſi aliter non potes, ſaltem è longinquo tuis orationibûs illos adjuva, quibus ferre auxilium præſentibus non potes, & ſi aliquando ſupremum ad Tribunal vocatus fueris, Divináque Juſtitia debitorum tuorum ſolutionem expoſcerit, illa exhibe, quæ pauperibus diſtribuiſti, & ſalvus eris: *Eſto miſericors, & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis, quàm Mater. Eccl. 4. v. 11.* Niſi Scriptura Divina intereat, tua perire cauſa non poteſt.

Ultimò tandem charitatem applica. Ex omnibus tuis propoſitis ad ſalvandam animam primum ſit oportet, amare DEUM ſuper omnia bona, æſtimare ſuper omnia bona Divinam ipſius amicitiam; ſummôque ſtudiô ſanctiſſimam ipſius Legem obſervare, ut ipſi placeas. Ex omnibus mandatis Divinis hoc eſt primum, vita & meritum omnium reliquorum, & ſi huic quispiam obedientiam non præſtet, melius foret, ſi non eſſet & nunquam fuiſſet in hoc mundo: *Maximum ac primum mandatum; Diligos Dominum DEUM tuum.* Firma igitur tibi voluntas ineſt DEUM amandi; atque ſi ita eſt, hoc ipſo etiam

etiam fixum ratúmque amare proximum; duo námque ifthæc præcepta ſeparari ſe nunquam patiuntur; duo rami ſunt, ſed qui ex una eadémque radice aſſurgunt; ſunt duo rivi, ſed qui ex uno eodémque fonte deſcendunt: duo ſunt actus, ſed qui procedunt ex uno eodémque habitu, ex uno eodémque motivo charitatis, quæ amat DEUM propter ſeipſum, & amat proximum ex amore DEI. *Hoc mandatum habemus à DEO, ut, qui diligit DEUM, diligat & fratrem ſuum. 1. Joa. 4.* Fidelis ſponſa non ſuum tantummodo ſponſum diligit, ſed pariter illud diligit, quod ad ipſum pertinet; amat ipſius famulos, amat ipſius bona, & vel ad ſolum imaginis ipſius aſpectum amore langueſcit. Ita omnino anima, ſi fidelis eſt in amando DEO ſuo, amat cum ipſo omnia, quæ ipſius ſunt, & ſpeciali affectûs teneritudine in proximum afficitur, qui eum conſiderat non ſolùm tanquam opus Divinarum ipſius manuum, ſed inſuper etiam tanquam expreſſam ſui Creatoris imaginem, tanquam inſignem glorioſi ſui Redemptoris prædam, tanquam ſpeculum animatum, ex quo Divinæ Majeſtati gloria per omnia ſæcula duratura ſuccreſcet.

Quare, ut totum id, quod hactenus in hoc ultimo remedio diximus, ad praxin deducamus: quandocunque tibi juvandi proximum tuum occaſio offertur, apprehende illam tanquam

quam thesaurum, atque in fratrem tuum intuens, ecce! dic tibimetipsi, ecce! Vicarium Christi Domini, Locumtenentem Ipsius Majestatis, Ejusdem Actorem, Personam, cui cessit DEUS omnes obligationes, quibus me obstrictum sibi habet Divina Justitia propter mea peccata; & omnes obligationes, quibus obstringor Divinæ Misericordiæ propter infinita beneficia quæ aut hucusque jam præstitit, aut præstanda mihi in perpetuum designavit. Deinde ut altiùs adhuc succensi ardoris flamma exardescat, in mentem revoca magnifica DEI promissa ad illum spectantia, qui fratres suos dilexerit; siquidem bonum non est, nec in terra, nec in cœlo, nec in tempore, nec in æternitate, quod DEUS misericordibus non promiserit. Præ omnibus autem operationes tuas in commodum aliorum ponendas Divini amoris exercitiô anima; gaude ex animo, quòd DEO tuo serviendi in proximo, placendi tuo Creatori, ipsius in misericordiam propensissimo genio opere misericordiæ obviandi, Divinúmque ejusdem gustum oblectandi nactus sis occasionem: hac ratione nihil parvum, nihil vile in actionibus tuis apparebit, cùm iisdem precium additurus sis, immensum his tribus virtutibus, fide scilicet, spe, & charitate, quæ uniunt nos DEO, sanctam efficiunt animam nostram, atque in hac terra ad vitam illam lon-

longè fortunatiſſimam nos diſponunt, quæ nunquam mortem videbit in cœlo, ubi omnes nos invicem amaturi ſumus ſine fine, ubi omnes erimus cor unum & anima una in omnia ſæcula.

LECTIO IX.

DE IMPEDIMENTO,

Quod affert ſaluti exiguus DEI timor.

NAvis onere ſimul, & velô inſtructa ſit, neceſſum eſt; hôc quidem, ut eò promptiùs ſuo in itinere promoveatur; illô verò, ne ventorum impetu ſubverſa aquarum procellîs hauriatur. Ita omnino ſe res habet cum anima noſtra: ſpe opus habet, ut progrediatur; ſpes namque initium eſt fortitudinis ad Chriſtianè vivendum adeò neceſſariæ; at non minùs timore inſtructa ſit oportet; utpote qui ſolus tantis in diſcriminibus reddere ſecuram poſſit: *Qui cavet laqueos, ſecurus erit Prov. 11. v. 15.* Quam igitur præpoſteram dicam illorum navigandi artem, qui peccatis immerſi cùm ſint, ſola ſpei anchora confiſi emerſuros ſe confidunt, nulla timoris Domini habita ratione? ignorant profectò, quod Sancti omnes adeò probè intellexerunt, mali nimirum hoc eſſe inventum dœmonis, qui venatorum fraudes imitatur, tutáque illis omnia

tam diu promittit, dum veluti feras ſubdolè circumventos in mortem inducat: *immittit ſecuritatem, ut immittat perditionem.* Quid mirum igitur, tam multos naufragari quotidie, nunc quidem incurrendô culpam; paulò pòſt autem, niſi timere Dominum didicerint, pœnam ſempiternam? Atque ideo, ſi impedimenti hujus, nimiæ inquam præfidentiæ mala detegamus, quò aptîs in tempore remediîs ei occurramus, operæ nos precium facturos exiſtimo.

Duæ autem hìc timoris ſpecies diſtingui poſſunt. Alius enim timor eſt, qui ex ſpe naſcitur, dum culpa ex metu pœnæ devitatur; alius, quem charitas generat, cùm culpa propter ſeipſam, & pœna non niſi culpæ intuitu odio habetur. Primus timor incipientium, ſecundus perfectorum eſt proprius. Mihi hìc propoſitum non eſt de hoc ſecundo, ſed de primo illo, imò de eo potiùs timore loqui, qui mixtus quodammodo ex utroque, magis tamen ad primum accedit, & initialis appellatur.

Hôc jam poſitô, qui orbis, qualis hodie eſt, Chriſtiani faciem penitius nonnihil mentis ſuæ oculîs intuetur, ſecúmque perpendit, quàm exiguum & pene nullum reperire ſit timorem Domini, quî fieri poterit, ut, niſi ratione omni, aut fide ſit deſtitutus, toto animo non cohorreſcat, cùm tantam ubique li-

ber-

berrimè peccandi licentiam videat, ac si DEO ad punienda crimina nec facultas, nec brachium suppeteret? nunquid iis se vivere temporibus sibi videbitur, quæ jam dudum detestatus est Hussæus Princeps? dum ita conqueritur: *Quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum. Job. 22. v. 17* Probrum! heu! Regi Scenico, quanto plus honoris exhibetur, quàm cœli terræque Domino Immortali! & quantò minore libertate vilissimum quemvis servulum offendere sustineret quispiam, quàm qua hodie DEUS Dominantium Dominus impetitur! Hoc saltem certissimum est, si vilissimus quispiam in hoc orbe homuncio offendatur, non eo eum ex capite offendi, quia bonus est; solus DEUS tam præfractâ audaciâ offenditur, quia ex infinita sua Bonitate veniam largitur; & ideo tantum eorum invenire est numerum, qui modis eundem adeò indignis tractare non subverentur, quia Optimum, & si injuriis afficitur, ad dandam veniam proptissimum sibi imaginantur. Quid curat pars major mortalium etiam Christianorum, faventémne sibi suis in negotiis DEUM habeant, an adversantem? & quæ tandem in plerisque magni timoris indicia notantur, si gravissimis DEUM injuriis ad justam iracundiam provocârint? ridetur, ùt priùs, pacatè, quietéque somnus capitur, ut priùs, & nihil, quàm antea minùs genio indulgetur.

Crudeles illos Josephi ægyptiaci fratres imitantur homines hujusmodi, qui (ut Gen. 37. legere est) instigante invidia demissô in puteum ut inibi fame periret, innocentî fraterculô, in eiusdem puteo consedêre, &, quasi nihil mali fecissent, jucundis se se epulîs refecerunt. Affero ego, falsam isthanc securitatem, temerariam hanc jucunditatem causam si non unicam, certè esse præcipuam, ob quam tanta Christianorum multitudo inferorum flammis adjudicetur: id quod pluribus, clariúsque demonstratum eo.

DAMNUM,

Quod oritur ex tali timoris Domini defectu.

DAmna, quibûs pessima hæc securitas animas afficit, ad duo præcipuè capita reducuntur, qui peccator est, nisi timorem Domini didicerit, peccata non deseret. Qui justus est, absque timore sua in justitia non perseverabit. An plura dici valeant, & quæ fortiùs ad hujus vitij detestationem te permoveant, quàm si dicatur, illud æternæ tuæ salutis & principio, & progressui, & complemento è diametro opponi?

Igitur incauta hæc securitas salutis principio adversatur; quippe, qui peccator est, sinè isthoc timore peccator esse non desinet: Spiritu S. apertè pronuntiante: *Qui sinè timo-*

re

re est, non poterit justificari. Eccl. 1. v. 28. id, quod & ratio manifesta confirmat; agite enim, quo ex fonte hunc scaturire timoris defectum existimatis? si S. Thomæ credimus (2.2. Q. 126. a. 1.) ex superbia simul, & stultitia nascitur. Prima enim malè securos, nihilque sibi metuentes usque adeò excœcat, ut infernum haud quaquam pro se esse paratum existiment, æstimant semetipsos in corde suo tanquam rem nescio, cujus tandem precij, atque adeò persuadere sibi nullatenus possunt, DEUM ad personæ suæ dignitatem nihil attendere, &, tametsi intentata severitate in alios utatur, in se quoque admissos excessus æquali rigore vindicare: quisque felicissimum illum se fore autumat, cui soli ex profligata acie superstiti recurrere domum, & nunciare stragem licebit: *Tanquam qui evaserit in die belli. Eccl. 40.* Et etiamsi jam quasi penitus in stygij illius Leonis faucibus hæreant, quietè inibi, & absque ullo timoris motu morantur, quasi certi existerent, inde se absque ullo damno evasuros: *Quomodo si eruat Pastor de ore Leonis duo crura, aut extremum auriculæ. Amos 3. v. 12.* Jam verò, quænam dispositio reperiri queat gratiæ divinæ magis contraria, sine qua tamen impossibile est salutis nostræ opus inchoare? *Qui præsumit*, inquit Tertullianus, *superbit: præsumptio inverecundiæ portio est. (de cultu fœm.)* Et hi montes superbè

capita attollentes, fœcundandos se credant à cœlesti liquore illius gratiæ, quæ non nisi humiles se se demittentium valles irrigare consuevit? non sunt, mihi credite, non sunt isti, quos benevolô DEUS oculô respicit; audite enim, *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & trementem sermones meos? Is. 66. v. 2.*

Sed dementia quoque impedit, quò minùs ad conversionem dispositi sint hujusmodi peccatores adeò temerarij. Stupidi sunt illorum populorum instar, de quibus ait Aristoteles (3. Eth. 7.) quòd propter suam stultitiam nihil, ne quidem cadentia de cœlo fulmina pertimescant: *propter stultitiam nihil timent.* Ita isti imperterritô animô omnibus Divinæ Justitiæ fulminibus temerè obviam procedunt; Divina illa, quæ abyssus sunt inscrutabilis, judicia non metuunt; ad terrifica, quæ in dies Divinam Justitiam exposcere à peccatoribus conspiciunt, supplicia immoti penitus, ac si innocentissimi forent, subsistunt; atque hæc omnia ob defectum sensûs & considerationis: *Sunt impij*, ait Dominus per os Regis sapientissimi, *sunt impij, quia ita securi sunt, quasi justorum facta habeant, sed & hoc vanissimum esse judicio. Eccl. 18. v. 14.* Qua igitur ratione à via sua mala converti ad Dominum poterunt insensati hujusmodi, cùm Divina Clementia ad convertendos peccatores alio communiter mediô uti non soleat, quàm ut salubri hor-

ro-

tore illorum corda concutiat, propinquæ mortis horam terribilem, rigorem Divini Judicij, pœnarum infernalium æternitatem, aliásque hujusmodi veritates ob oculos ponendô, quæ ſolæ hactenus induratos antea pœnitentium omnium animos ad ſaniora conſilia, ad ſalutis ſemitam reduxerunt? *Timore vocamur*, ait S. Bernardus, *amore juſtificamur*. Vidiſtíne aliquando, quid fieri ſoleat, ſi Princeps aliquis ſolenni cum pompa quoddam templum ingreditur? Priusquam ille ex Aula ſua moveat, præcurrit, qui illo ipſo in templo precioſum ſubſellium præparet; atque hoc indicium eſt, ex quo brevi venturum Principem omnes concludunt; ſecùs ſi accidat, ſi priùs ejusmodi famulus templum non ſubeat, nemo quisquam è populo invenitur, qui venturum Principem ſibi perſuadeat. Ecce! hoc ipſum in caſu noſtro contingit, timor præcedit amorem juſtitiæ, ùt Dominum ſervus: *Timor præcedit, ſequitur juſtificatio*: verba ſunt Doctoris Melliflui. Pro indubitato proinde habeto, haud quaquam priùs cordi peccatoris ſolem oriturum juſtitiæ, quàm timoris aurora præceſſerit. Ita S. Auguſtinus in iis obſervat, qui ſuo tempore abjuratâ idololatriâ ad fidem Chriſtianam tranſierunt, rariſſimè, imò nunquam contigiſſe, ut alio motivo, quàm DEI timore moverentur: *Rariſſimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam*

veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo DEI timore perculsus. (*tr. 9. in Epist. Joan.*) ùt adeò jure meritissimo timor & gratia duo gemelli queant appellari: *Timor Domini cum fidelibus in vulva concreatus est. Prov. 28.* Quodsi tamen credere præsumpseris, incipere absque timore te posse æternæ tuæ salutis opus; quo tandem fundamentô persuadere tibi poteris, te perseverantem futurum, atque illud ipsum salutis opus timore destitutum ad perfectionem deducturum? plurimùm certè & fides repugnat & ratio. Quodsi enim timor Domini fundamentum est totius spiritualis ædificij: *Initium Sapientiæ timor Domini. Eccl. 1. v. 16.* manifestum profectò est, sine illo excelsæ hujus fabricæ non solùm prima poni fundamenta, sed promoveri quoque, & necessaria ad perseverantiam solidari firmitudine non posse. Atque inde est, quòd, postquam sapiens timorem initium sapientiæ vocavit, eundem paulò pòst coronam appellet: *Corona sapientiæ timor Domini. Eccl. 22.* timor quippe ad omnia utilis est, dat principium virtutibus, iisdem perseverantiam & perfectionem contribuit. Unde merito dixit Doctor Mellifluus: *In veritate didici nihil æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si in omni tempore inveniaris coram DEO, non altum sapere, sed timere.* (*Serm. 54. in Cant.*) Manifesta hìc insuper est ratio; si-

qui-

quidem qui timet, periculis se subtrahit: *Qui timet, cavet, ne iterum peccet.* (*Aug. tr. 9. in Epist. Joa.*) Et è contrario, qui vacuum hoc timore animum circumfert, in medio discriminum ambulat, & in omne genus peccatorum prolabendi periculo se exponit: *Qui præsumit, minùs veretur, minùs præcavet, plùs periclitatur.* (*Tertul. de cultu fœm. c. v.*) Videtis hoc clarè in quadam civitate, quando terræ motu quassatur, & quando terra priùs commota rursum quiescit. Quamdiu horrendum inter mugitum fluctuans terra mœnibus juxta & hominibus interitum comminatur, nihil nisi orantium gemitus, nihil nisi supplicum vota, nihil nisi pœnitentium singultus & suspiria audiuntur; damnantur visitationes, cessant convivia & lusus, vitatur suspecta conversatio, otiosa ambulatio in studium pietatis mutatur: quamprimum verò horrifica terræ fluctuatio subsidet, quamprimum terroris plena periculi facies evanescit ex oculis, mutato repentè animo, abjectis pietatis officiis ad priores perversæ naturæ delicias denuo reditur. Simili prorsus ratione res se habet in anima, dum sancto quopiam amittendæ suæ salutis metu percellitur, abstracta subitò à mundanis deliciis, tota in eo est, ut ad bonorum operum exercitia incumbat, & toto affectu ad DEUM confugiat, juxta exemplum S. illius Regis, qui pro sui timoris mensura

toto corde se DEO commendavit: *Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum. 2. Paral. 20.* Mirandum igitur non est, tanto inimicum infernalem studiô allaborare, ut salutarem hunc timorem ex peccatorum cordibus expellat: quod & feliciter nimiùm ei successit, cùm primam nostram Parentem primô in Paradyso tentaret: protinus enim, ùt suprà dictum est, timorem pœnæ ipsi à suo Creatore intentatæ ex animo sustulit: *nequaquam moriemini*: verùm non est: DEUS summè bonus est: ob rem tantillam haud quaquam vos damnabit; atque ita subtractô fundamentô facilî eam negotiô prostravit. Hæc igitur præcipua ars est, qua ille adhibita Christianos ad lapsum inclinat, ab ipsorum cordibus timorem evellit, eadémque ad nimiam præfidentiam accendit: *nequaquam moriemini.* Quis unquam Paradysi gloriam ingrediatur, si Christiani eô non pertingant? plenus misericordiarum est DEUS; si ad peccata hominum vellet respicere, jam diu mundus non ampliùs existeret: aut omnes salvabuntur, aut nullus. Et has, similésque ineptias, quas insani peccatores tanquam subtilissimæ scientiæ arcana suspiciunt, iisdem persuadet alastor stygius, ut credant, salutem consequi opus esse nullius laboris, nullius solicitudinis, utpote quæ suo tempore ipsa sit ultrò obventura.

ra. At verò, quod malum nimiùm quantùm adauget, istud est, quòd, quantum hostis infernalis sanctum in illis timorem imminuit, tantò majora timori mundano augmenta adjiciat, illi, inquam, timori, qui solum bonorum carnalium, & mundanarum voluptatum jacturam tanquam suum objectum respicit; atque adeò ejusmodi hominum quispiam multò plùs metuit, ne suæ, quæ in judicio ventilatur, causæ, quàm ne animæ suæ jacturam patiatur; plùs timet, si Nobilis est, ne punctum honoris, quàm ne Paradysi gloriam amittat; plùs timet, si juvenis est, obtutum illius, quam sibi delegit, minùs benevolum, quàm tremendas DEI Omnipotentis minas peccatoribus intentatas paveſcat, quod ipsissimum olim in Paradyso Protoparentem nostrum feciſſe in comperto est, qui patrato crimine factus DEI inimicus & totius humani generis parricida, non ob aliud timebat magis, quàm quòd se nudum videret.

REMEDIUM

Ad tollendum istud impedimentum.

PRimum remedium est illud universale contra mala nostra omnia, nimirum humilî, constantíque animo mediante oratione ad DEI Bonitatem confugere, atque ad S.

Da-

Davidis exemplum ſalutarem hunc timorem inſtantiſſimîs votîs flagitare: *Confige timore tuo carnes meas, à mandatis enim tuis timui. Pſal. 118.* Geminas in verbis hiſce pulcherrimis contentas veritates nota, quas cœca peccatorum inſania tam parùm conſiderat. Prima eſt, quòd piiſſimus David, quò facilius DEUM in ſua vota inflectat, tanquam motivum ſuum timorem adducat: *à mandatis tuis timui*; nempe, ut intelligant omnes, timorem Domini rem non eſſe nullius momenti, nullius conſiderationis; multò minùs paſſionem exiſtere (ut ita dicam) muliebrem, viróque indignam; ſed potiùs donum Diviniſſimi illius Spiritûs, quod mille benedictionibûs animam replet, cámque ad gratiæ Divinæ, cœleſtiúmque inſpirationum influxus aptiorem efficit. Decet proinde, ut quisque meliore, quo fieri poteſt, modo ad tam grande donum recipiendum ſe præparet, ita, ut ipſe timor, timoris à DEO augmentum promereatur. Altera veritas eſt, quòd oporteat nullo unquam hujus timoris gradu nos eſſe contentos, ſed conari continuò, ut nova identidem incrementa accipiat, atque in dies purior perfectiórque evadat: *Confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis timui.* Non igitur tantummodo ad incipientes pertinet, timere Dominum, cùm ipſimet etiam Sancti, quò clariorem rerum æternarum cogni-

gnitionem acquirunt, eò majore circa felicem rerum suarum successum solicitudine angantur: *Homo sapiens in omnibus metuit. Eccl. 8. v. 27.* Homo sapiens nihil non timet, neque unquam in tuto versari se credit, donec in Paradysi limine pedem posuerit. Atque hæc ipsa etiam est ratio, ob quam Amabilissimus Redemptor noster suos instruens discipulos, iteratò ipsis Justitiæ Divinæ timorem inculcavit: *Timete eum, qui, postquam occiderit; habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Luc. 12. v. 5.* ac si nunquam ea, qua par est, ratione timeri valeret.

Secundum remedium hìc quoque est, uti in omnibus aliis, id agere præprimis ut mali radix innotescat. Fatalis isthæc peccatorum temeritas duplici plerumque ex ignorantia oritur, qua fit, ut insani isti, quidnam revera sit DEI misericordia, quídve justitia, ignorent. Primam ignorantiam jam olim acriter Apostolus ipsis exprobravit, ubi dixit: *Ignoras, quoniam Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? ad Rom. 24.* Alteram Ipsemet Servator Noster in ultimo suo sermone post cœnam clarioribûs adhuc terminîs expressit, dicens: *Pater juste, mundus te non cognovit. Joan. 17 v. 25.* Utramque jam istam ignorantiam hìc accuratiùs exenteremus oportet, quò faciliùs necessarium ad utriusque correctionem remedium inveniamus.

Pri-

Prima igitur peccatorum ignorantia versatur circa DEI misericordiam, circa quam inprimis non sciunt, quidnam propriè sit misericordia Divina; deinde & numerum effectuum ipsius, & denique finem propter quem operari consuevit, ignorant.

Illi, quorum lingua semper DEI misericordiam prædicat, quippe ex illius consideratione amplam sibi eandem liberiùs offendendi fingunt licentiam, planè, quid rei sit Divina misericordia, ignorant. Quippe ita eandem mente concipiunt, ut ad quamvis scelerum enormitatem penitus immobilis appareat; atque adeo, sicuti parùm moveri credunt, si infernalis monstri peccati scilicet malitia impetatur; ita parùm quoque illam urgere existimant, ut statuta eidem pœna infligatur. Hi sunt præposteri malevolorum hominum conceptus longiùs à DEI cogitationibus, quàm cœlum à terra distantes. Profectò tametsi DEUS in omnibus suis perfectionibus sit summè admirabilis, in nulla tamen ex omnibus magis videtur admirandus, quam in sua patientia. Propter hanc videtur quasi semet ipsum obstupescere, cùm dicit: *Ego Dominus, & non mutor: & vos non estis consumpti. Mach. 3. v. 6.* An possibile sit, ut Dominus existam Majestatis, & debitis suppliciis necdum vestra scelera castigârim? Alios ornare beneficiis, sublevare miserorum calamitates,

Ma-

Magnatum gloria est, & excelsæ illorum conditionis effectus reputatur; at verò pacatô animô illius sufferre insolentiam, qui eorundem voluntati nefariè reluctatur, virtus esse videtur, quæ cum sublimi adeò dignitatis fastigio componi vix possit. Miratur etiamnum hodie mundus universus, dum cogitat, Philippum Secundum Hispaniæ Regem, postquam mediam noctis partem insomnis exegisset, prolixissimis ad Summum Pontificem propria manu exarandis litteris occupatus, ipsísque his litteris Secretarius ex incuria scriptorij pulveris loco atramentum infudisset, ne minimô quidem commoti animi indiciô ostensô aliud nihil dixisse, quàm ut novum folium porrigeret, quod ad scribendas de novo litteras deserviret. Judica jam, quantò adhuc majore admiratione dignum hoc factum existeret, si hoc ipsum ex instituto, & datâ operâ, si frequentiùs, & quidem probè gnarus, exinde Majestatem Regiam summopere offensum iri, famulus fecisset, & tamen omnes istæ circumstantiæ, tametsi in infinitum augerentur, ne quidem umbra forent illius injuriæ, quæ supremæ Majestati per peccatum irrogatur; & stupendæ illius patientiæ, qua hoc ipsum peccatum à DEO toleratur. Omnia sanè attributa Divina ad vindicandam illatam injuriam videntur insurgere, ut adeò necessarium omnino sit, ut misericordia ne

tan-

tandem cedere cogatur, quasi omnibus juxta Prophetæ testimonium viribus obnitatur: *Corroboravit misericordiam suam. Psal. 112.* atque non modò mirabilis patientiæ, sed excellæ etiam fortitudinis præbeat exemplum: patientiæ quidem erga nos, qui impio ausu in Ipsius Majestatis Thronum involamus; fortitudinis verò erga seipsum, qua nostros excessus absque ultione supportat: *Dominus patiens, & magnus fortitudine. Nah. 13.* Patiens profectò, & ultrà, quàm credi potest fortis, cùm offensam vel unicam absque vindicta patrari permittit; quantam igitur illam futuram esse patientiam atque fortitudinem credamus, qua peccata ferè innumera, à vilissimis ingratissimisque terræ vermiculis in ipsius conspectu impudentiâ intolerabili toties repetita sine vindicta supportat, & eo quidem ipso tempore, quo vel unico nutu insolentem peccantium audaciam atrocissimis quibuslibet pœnis posset reprimere. Judicare proinde te velim, an altiùs etiamnum peccantium ignorantia queat ascendere, qui pro nihilo reputant veniam suis sceleribus impertitam; pro nihilo miserationem, qua profunda eosdem è miseriarum abysso ereptos in felicitatis statum DEI Clementia reponit.

Crescit deinde hæc ignorantia ex eo, quia, quot denique vicibûs DEUS ipsis sit veniam con-

conceſſurus, ignorant. Equidem infinita eſt Bonitas illa, qua DEUS ad impertiendam veniam movetur, hanc tamen non niſi finitis concedere vicibûs decrevit: *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti Sap. 11. v. 21.* Supremus ille cœli terræque Dominus, qui viæ ventorum ponit menſuram, immenſúmque pelagus ſuîs terminîs circumſcribit, pravis quoque concupiſcentiæ noſtræ motibus, noſtræ peccandi licentiæ ſuos terminos figit; nam ad nos quoque illud pertinet: *hucuſque venies, non procedes ampliùs, & hìc confringes tumentes fluctus tuos. Job. 38.* Indubitatum hoc eſt, ait S. Auguſtinus, & ſatìs manifeſtô S. Scripturæ teſtimoniô comprobatum: *Certum eſſe peccatorum modum atque menſuram DEI ipſius teſtimoniô comprobatur.* (*1. de vita Chr.*) Cogita itaque, an vel micam adhuc habeant ſanæ rationis illi Chriſtiani, qui novis in dies peccata peccatis accumulant unicè huic ſpei innitentes, quòd DEI miſericordia ſit absque termino. Equidem veriſſimum eſt; Miſericordia Domini finem non habet; finem tamen habent ejusdem miſerationes; & cui tandem revelatum de cœlo, quantum adhucdum ſuperſit, dum illarum numerus compleatur? quo impleto ille ipſe DEUS, qui tanta hucuſque patientia tuam impudentiam ſuſtinuit, tolerare ampliùs non volet, ùt aliàs ipſemet teſtatur: *Super tribus*

ſceleribus Damaſci & ſuper quatuor non convertam eum. Amos. 1. v. 3. Interea veſani peccatores absque ulla ſolicitudine pergunt in fruſta diſcindere precioſiſſimam innocentiæ ſtolam, tametſi JESU Chriſti ſanguine lotam, ſpe freti certiſſima, protinus ſe aliam, quandocunque libuerit, novámque habituros. Novis identidem noviſque maculis ſuam animam conſpurcant, eò quòd ope ſacramentorum nullo easdem ſe poſſe eluere negotio confidant. In aſſurgentes tumultuantis pelagi procellas lætabundi inſiliunt, quia offerendam ſibi tabulam credunt, qua apprehenſa, queant incolumes ſecura ad littora enatare. Verùm enimverò, ſi ſuæ interea malitiæ menſura impleatur, quid ipſis futurum tum putas? Vide, ut tacitè, lentéque horologium procedat, atque pacatè, dum horæ elapſæ terminum attingat, ſuas rotas circumagat. Aſt ubi ultimum labentis horæ punctum deſignat, tota repentè machina præcipiti in motu eſt, omnésque rotæ pendente retinaculo celerrimo impetu volvuntur. Ita ſuo tempore facturus eſt Dominus: *Tacui*, inquit per Iſaiam, *ſemper filui, patiens fui, ut parturiens loquar. Iſ. 42. v. 14.* Id ipſum de gratiis quoque Divinis ad tuam converſionem adeò neceſſariis teneto. Veriſſimum omnino eſt, quòd illæ ſuo in fonte, DEI nimirum bonitate, & JESU Chriſti meritis abs-

absque termino sint, ac infinitæ; sed ubi in rivos se se diffundunt, finitæ sunt, pondus habent, & numerum. *Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti.* Quemadmodum avaritia, ita quoque prodigalitas cadere in DEUM non potest. Atque adeò dona illa sua adeò preciosa, quæ largiri nobis intendit, exactissimè numerat; & quia cœcus non est, sed ipsa Sapientia infinita, illa ipsa munera accuratè ponderat; & quia denique inconsideratus non est, sed summè attentus in omnibus, eadem quoque non nisi mensurata distribuit; atque istorum omnium tandem ignorantia cœcos peccatores in omnia scelera, & ipsam quoque damnationem æternam præcipitat.

Demum ultima circa DEI misericordiam ignorantia, circa ipsius finem versatur, ex quo ad dandam nobis veniam, & destruendum peccatum movetur: *Ignoras, quia Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit.* Peccatum unicus est, & supremus DEI inimicus; neque aliam rem ullam Bonitas DEI odiô persequitur, nisi peccatum; & quidem peccatum præcipuè, tum etiam eum, qui illius reum se fecit. Fixum propterea, ratúmque habet suprema illa Majestas, aut peccatum delere in peccatore, aut peccatorem in peccato; unde in omnem, quo sanctissimum hoc suum Decretum exsequatur, occasionem

solerter invigilat. Quippe, si ad destruendum peccatum in peccatore de cœlo descendit tanquam Redemptor; ad destruendos in peccato peccatores postmodum descendet ut Judex; & sicuti summè admirandum se exhibuit in conferendis nobis beneficiis; ita quoque in nobis castigandis se stupendum demonstrabit. Finis itaque, propter quem te DEUS exspectat, nequaquam est iste, ut peccati unius terminus sit initium alterius, verùm ut continuatam hucusque perfidiam, tantò majore posthac fidelitate compenses. Ita tertia vice, an se amaret, Petrum interrogavit: *Petre amas me?* quia tertia ab illo vice paulò ante fuerat negatus, ut hac ratione tam ipsi Petro, quàm aliis peccatoribus omnibus fieret manifestum, hoc suâ se patientiâ, sua longanimitate intendisse, ut admissum peccatum digno fetvore, eóque altiore charitate compensarent. Quare, cùm bonus sit DEUS, ut eum timere addiscas, desiderat; DEUS enim bonus non foret, nisi odiô malos insectaretur; Bonus cùm sit, intelligere te cupit, tantò graviorem tuam culpam extitisse, cùm pro favoribus, non nisi peccata perfidus reddidisti; Bonus cùm sit istud præcipuè cures, desiderat, ut sua in Bonitate, suo in odio ipsum imiteris, quo iniquitatum genus omne abominatur; unde ex hoc quoque capite eum timeas oportet, quia supportat, quia ve-

veniam concedit. Atque hic felicissimus ille fructus est, quem exinde Sancti in cœlo hauriunt; unde, ùt S. Joannes audivit, plenô chorô conclamant: *Quis non timebit te Domine, quia solus pius es? Apoc. 15. v. 4.* Quis profundissima submissione tuam Majestatem non reveatur, O! Domine, quis scelerato te impetere opprobriô non formidabit, quia tam bonus! Hic fructus est, quem Sancti in hoc quoque mundo inde recipiunt: *Quia Dominus patiens est*, ajebat Judith. *in hoc ipso pœniteamus. Judith. 8.* Quòd tantâ patientiâ in præsens usque momentum nos sustinuerit, motivo nobis sit, quo fortiter ad eum tenerimè amandum, & multò adhuc magìs ad timendum impellamur, ne novis excessibûs ipsius longanimitatem exacerbemus, eúmque mutatâ in furorem patientiâ dudum promerita incutere supplicia cogamus; tradere siquidem veniam impertientem, plùs est quàm tradere.

Primæ huic peccatorum ignorantiæ circa DEI misericordiam, altera illa circa ejusdem justitiam respondet. Nesciunt, quid sit Divina Justitia; hujus effectus ignorant; finem, quem suis sibi in operationibus præfixit, non intelligunt.

Itaque, quid rei sit Divina Justitia, mundus ignorat: *Pater juste, mundus te non cognovit;* Unde peccatores in tremenda illa judicij

hora ab immenſa hujus Juſtitiæ multitudine hucuſque tamdiu abſconditæ ſuperfuſi, ſummo horrore concutientur; *Revelabitur quaſi aqua judicium, & Juſtitia, quaſi torrens fortis. Amos. 5. v. 14.* Nunc equidem juſtitia ùt odium creaturæ concipitur, atque adeò componi vix poſſe cum Bonitate Divina putatur. Omnia reliqua DEI attributa ùt amabilia apprehenduntur, & amaturi DEUM peccatores videntur, qui ſe meritis afficere ſuppliciis aut non poſſet, aut ſi etiam poſſet, non vellet. Iſtæ ſunt tenebræ, in quibus ſepulti jacent peccatores miſeri, & maximum pietatis eſt opus, eosdem in lucem educere. Divinus ille Rigor, odium non eſt creaturarum; ſed amor eſt *boni*, & *omnis honeſtatis*; ferè ſicut in muſico ille impetus, quo cordam diſſonam, poſtquam aliquoties fruſtra remiſit, atque intendit, in partes disrumpit, amor eſt harmoniæ, cui iracundiæ motus videtur. Repugnat infinitæ DEI ſanctitati, non ſummô odiô, perſequi iniquitatem, repugnat ipſius Sapientiæ ſummam peccati inordinationem permittere, quin intentato ſupplicio ad ordinem creaturam exorbitantem reducat; atque ideo, cùm peccator minis contemptis, inſuperhabitis beneficiis in culpa perſeveret, approperat, ùt dictum eſt, Dominus deſtructurus in peccato peccatorem, quandoquidem in ſeipſo peccator nolit deſtrui peccatum.

Sum-

Summo igitur æquè, ac reliquæ perfectiones, amore digniſſima eſt DEI Juſtitia, quæ ſi ipſi Lucifero, quanquam extremo eandem ſuis in cruciatibus odiô execretur, videnda utì in ſe eſt exhiberetur, majori repentè in eandem, quàm ſemetipſum amore arderet. graviſſimásque etiam, quas ab ea ſibi paratas perpetitur, pœnas promptiſſimè approbaret. Verum proinde eſt, eandem Juſtitiam non equidem nobis, ſed tamen DEO eſſe utiliſſimam, quippe quæ ſuam ei gloriam procurat, ablatum à peccatoribus honorem reſtituit, résque Creatoris rebûs creaturarum omnibûs infinitîs gradibûs magìs æſtimabiles potentiſſimè defendit. Quin imò & hoc certiſſimum, eandem nobis quoque prodeſſe plurimùm, ſi non per viam ſcelerum abeuntibus, ſaltem ſtudia pietatis ſectantibûs; ita enim Lactantius: *Bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit. L. de ira DEI c. 17.* Væ, peccatoribus! ſi nunquam DEUS oſtenſo ſuæ juſtitiæ rigore illos percelleret! qua enim ratione aliàs ſuos errores agnoſcerent, ut emendarent? *Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit. Prov. 12. v. 25.* Quænam igitur inſania eſt, fingere DEUM ex parte duntaxat bonum exiſtere; bonum ſcilicet, ſolùm bene faciendô, non verò bonum mala puniendô? genus iſtud bonitatis in Rege apicularum vix tolerandum videtur, quem ſolum absque aculeo affirmant;

Supremum autem Regum omnium Regem, Potentissimum exercituum Dominum inermem incedere, aut juvenum quorundam in morem gladium ornamenti solummodo gratiâ ex latere suspensum gestare, quantùm dedeceret, nemo est, qui non dispiciat.

Porro ex eo etiam capite peccatorum ignorantia augetur, quia, licèt Divinæ severitatis effectus agnoscant, iisdem tamen pœnas spirituales, quæ tamen sunt illius effectus præcipui non accensent. Si DEUS quandam civitatem pestifera lue inficit, communis omnium gemitus insonat: *DEUS nos castigat*; quodsi autem justô suô judiciô permittat, ut integra Provincia infami illa Luxuriæ peste corripiatur, *ne unum quidem reperies*, qui morbum hunc animæ, illo, qui corpus prosternit, infinities pestilentiorem aliter apprehendat, quàm ùt malum levis momenti, ùt passionem juvenilem, quàm ùt excessum ad vitam præsentem vivendam tantùm non necessarium. Et tamen, cùm peccatum actuale maximum ex omnibus, quod nobis accidere potest, malum existat, quodnam denique gravius excogitari supplicium queat, quàm si Divina justitia permittat, ut hoc ipsum peccatum in dies singulos regni sui confinia latiùs extendat? Interim DEUS ad iracundiam provocatus, justô judiciô gratiarum suarum influxum retrahit, ab animo tot sceleribus con-

spur-

ſpurcato longiſſimè diſcedit, unde remanet in ſpiſſiſſimis tenebris veluti terra ob ſolis abſentiam denſiſſima nocte obtenebrata, conſtricta glacie, ob hyemis ſævitiem infœcunda; aſſurgunt novò cum robore pravi habitus, intepeſcit fidei ardor; & tamen ex tam grandi iſthac ruina, quia ſenſu externo non percipitur, ne minimus quidem formidinis motus ſentitur; *Nolite* (exclamare hìc convenit cum S. Auguſtino) *nolite habere oculos paganorum: Chriſtianos oculos habete in Pſal 56.* Attollite pauliſper oculos, aut, ut meliùs loquar, eruite è frontibus oculos gentium infidelium, quæ omnia ſenſibus metiuntur; atque illorum loco Chriſtiano homine dignos ſubſtituite, qui omnia fide metitur: & mox luce vobis clariùs pateſcet, univerſum terrarum orbem, ùt divinâ plenus eſt miſericordiâ; ita Divinâ quoque Juſtitiâ plenum exiſtere. Imò videbitis, hujus ipſius Juſtitiæ effectus, ſi majores non ſint effectibus miſericordiæ, eſſe ſaltem magis univerſales, utpote qui ad plures ſe homines extendant. Peccatorum permiſſio, utì diximus, & animarum condemnatio primarij ſunt Divinæ iracundiæ effectus; è contrario autem liberatio à peccato, & perpetua animarum ſalus præcipui Miſericordiæ Divinæ effectus exiſtunt. Jam verò, quàm longè major peccatorum, quàm juſtorum eſt numerus? quantùm repro-

borum numerus, numerum electorum excedit? Quis proinde non videt, opera justitiæ multò se extendere latiùs, quàm illa, quæ à Misericordia procedunt? Equidem extra omne dubium est, hoc totum peccantium culpâ accidere, nec in ullum se unquam DEI iracundiam effundere, in quem non priùs pro infinita sua illa Bonitate mille beneficia conferendô infuderit Misericordia; sed & illud quoque certissimum, æternum reproborum interitum, eorúmque præcedentibus peccatis correspondens supplicium, cum subsequentium permissione conjunctum, tanti ponderis mala existere, ut bonis omnibus, quæ priùs à Misericordia receperunt, in infelicium istorum animabus ùt plurimùm prævaleant. Quî igitur fieri poterit, ut talem tantúmque DEUM, qui vel omnino nihil agendô, vel suos tantummodo favores tam malè de se meritis negandô, vel gratiæ suæ solùm auxilia subtrahendô infinities plus mali nobis potest inferre, quàm si penitus ad nihilum nos redigeret, quî, inquam, fieri poterit, ut talem tantúmque DEUM non timeamus? *Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Hier. 5. v. 22.* Quomodo possibile sit, ut homo, qui pauxillum est pulveris, quem propriæ suæ lacrymæ coagulant, timore non minuatur, ubi considerat, tam strictam sibi DEO Judici reddendam esse ratio-

tionem de innumerabilibus injuriis, quibus infinitam affecit ipsius Majestatem, qui & Sanctitatis est immensæ, ut ab illis abhorreat, & Potentiæ immensæ, ut illa justis suppliciis prosequatur.

Denique motiva nescit peccator, finémque non intelligit, quem sibi DEUS præfigit Justitiæ rigorem adhibendô; compensare nimirum illata ab impiis, cùm concessa sibi libertate tam malè utuntur, gloriæ suæ damna intendit. Quando in peccatum consentit homo, voluntatem propriam præfert, Divinam postponit; erga se ipsum ita se gerit, ac si ipse DEUS existeret, se solum suæ voluntatis centrum constituendo: è contrario DEUM ita tractat, ac si ille creatura existeret, volendo, ut quasi deserviat perversis suis desideriis. Quæ confusio magis horribilis! quæ perversitas monstrosa magis! Quapropter nisi peccator ipse hanc confusionem opportunè componat pœnitendô, supervenions DEI justitia illam componet puniendô: *Reformabit peccati dedecus dedecore vindictæ*, ait S. Augustinus. Quid rei, amabô, infernum esse putatis? si in ordine ad damnatos consideretur, est *Terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job. 10. v. 12.* Ast si in ordine ad DEUM spectetur, Theatrum est magnificum pro istius gloria excitatum; & quot-

quot

quot in eo cujuscunque demum status, conditionis sexúsque infelices mortales continentur, tot suô, quo puniuntur, supplicô immensam extollunt Divini Numinis Sanctitatem, prædicant Bonitatem, Sapientiam dilaudant, eidémque suum honorem, quem prùs peccandô nefariè abstulerant, glorioßima restitutione refundunt. Peregrinum vobis videtur, quòd perpetuis vos DEUS ignibus adjudicet; & quid ita? Mirúmne vobis apparet, quòd majorem DEUS sui, quàm vestri honoris rationem habeat? plùs sua præcepta, quàm vestra delicta attendat? & postquam vos apertîs oculîs malô omnium malorum longè peßimô vosmetipsos affeciß's peccatum perpetrandô, *ille*, quod malè ac præposterè factum eßt, corrigendum, & reducendum in ordinem suscipiat promeritas pœnas immittendô? Haud quaquam hoc mirum Angelis accidit, nec sanctis Paradyßi incolis, qui non tenebras ignorantiæ, quæ vos circumstant, sed plenißimam lucem inhabitant. Magna illi cum voluptate ißhæc de cœlo spectacula intuentur, & mirificè honore oblectantur resultante ex iis in supremam Majestatem, quam junctis laudibus extollunt uno ore sinè fine cantantes: *Alleluja: salus, & gloria, & virtus DEO noßro eßt, qui judicavit de meretrice magna, & iterum dixerunt: Alleluja. Apoc. 19.*

His

His igitur æternæ Veritatis cognitionibûs tuum animum imple: Justam Divinæ Majestatis Ideam concipe. Nunc (dicebat Vir quidam Sanctitate eximius, morti vicinus, & sancto Divinorum judiciorum horrore quassatus) nunc, DEUM sub rudi imagine pro modulo nostro nobis imaginamur, sed pauca post momenta, O! quàm diversum intuebimur. Nunc igitur dignâ pœnitentiâ præterita delicta expia, & mala, quæ patrâsti, totidem operibûs bonis compensa; quippe si debitum apud DEUM contraxisti, expungendum illud est, aut in hoc mundo verâ pœnitentiâ, aut in altero paulò pòst in flamma; medium non datur. *Manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 2. Mach. 6.* Verum est, timor solus esse non debet, sed eundem cum spe conjungamus oportet; hæc enim est voluntas Domini, qui ait per Prophetam Regium: *Beneplacitum esse Domino super timentes eum, & in his, qui sperant super Misericordia ejus. Psalm. 147.* Sed facite, quod Sanctus ille facturum se dixerat, nimirum, quòdsi dœmon in scalæ summitate consisteret, se ad ima descensurum, quòdsi autem ad gradum infimum dœmon desiliret, se ad supremum esse evolaturum. Nempe dicere volebat, quòdsi alastor stygius se ad nimiam elevare præfidentiam niteretur, timoris DEI, hujusque Judiciorum clavo, veteratoris se se co-

conatus repulſurum. Quòdſi autem è contrario in deſperationis profundum conaretur agere præcipitem, ſpei, Divinæque miſericordiæ præſidiô ſe muniturum. Inter principia converſionis etiam eſt, in partem timoris inclinare; quia, quemadmodum febres, quæ cum frigore incipiunt, intermittunt, finiuntúrque citiùs, quàm illæ, quæ initio ſunt calidæ, ita prorſus ſe res habet cum febribus, quæ è pravis paſſionibus enatæ animam infeſtant: niſi timori locum concedant, medium quo illas corrigas, non reperies. Quòdſi juſtam hujus timoris nôſſe menſuram tibi eſt animus; accipe: tantum time, quantum ad cavenda peccata, ad exhibendam DEO in templis reverentiam, ad te eidem ſæpiùs commendandum, ad concipiendum erga ſanctiſſimam Virginem, ad quam crebrò devotè invocatam, ùt infantulus pavidus ad matrem ſolet, magna fiducia confugias, tenerum affectum requiritur & ſufficit. Ejusmodi inſuper libros ſpirituales frequenter perlege, qui Divini illius rigoris exempla ob oculos ponunt, ùt facit Carthuſianus de noviſſimis, P. Nierenbergius in ſua trutina temporis & æternitatis, ac hujusmodi: atque pro indubitato habeto, ſignum certum eſſe tuæ ſalutis, ſi crebrîs ejusmodi cogitationibûs cor tuum occupaveris: id quod ipſa Veritas æterna ſuô calculô confirmat; *Cogitationes Juſtorum judi-*

cia.

cia. Prov. 12. Et viciſſim magnum æternæ tuæ reprobationis indicium, pœnámque magnam reputa, ſi timorem amiſeris: *magna eſt pœna peccati, timorem perdidiſſe judicij. Aug. ſerm. 30. de temp.* Secùs profectò fiducia illa, quam ſpem appellas, manifeſta temeritas eſt; quia cum timore non conjuncta id promittit, quod nunquam pollicitus eſt DEUS, videlicet, ob tua delicta nihil te ſupplicij paſſurum. Veræ ſpei, & Chriſtianæ fiduciæ hoc proprium, ut, quemadmodum balſamum corpora à putredine, ita illa animam à peccato præſervet: *Qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe. 1. Joan. 3.*

LECTIO ULTIMA,
DE BONO,

Quod facere debet Chriſtianus, poſtquam ſalutis impedimenta removit.

MAndavit DEUS Jeremiæ Prophetæ, ut deſtructò in populis, eradicatóque malò, in iis ipſis bonum plantaret; *Conſtitui te ſuper gentes, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Jerem. 1. v. 10.* Simile quid divina tibi Majeſtas imperat, quod in te ipſo exequaris; atque ideo, poſtquàm memorata in præcedentibus Lectionibus, quæ præcipuè noſtræ ſaluti ſe

op-

opponunt, impedimenta ſuſtulimus, æquum eſt, ut ad illud bonum convertamur, quod facere nos oportet, ut vitam æternam conſequamur. Mihi illorum ſententia præplacet, qui totam Chriſtiani hominis vitam ad tria capita reducunt, tribûs hísce verbîs expreſſa: *ſuſtine*, *abſtine*, *age*: explicemus ſenſum cujusvis particulæ.

Suſtine. Abſit, ut credatis, Chriſtiani hominis virtutem mollem eſſe, atque effœminatam, totámque noſtram pacem denique in eo poſitam eſſe, ſi non habeamus, quocum depugnemus. Multò adhuc abſit longiùs, ut tibi perſuadeas, quòd, cùm in propoſitis hucusque Lectionibus poſitas ab hoſtibus tuis ſaluti tuæ inſidias detexiſti, hoc ipſo, omnes hi tui inimici aut penitus confecti jam ſint, aut ſaltem arma ſimul, & te etiamnum expugnandi ſpem amiſerint. Aliud longè Divini Spiritûs monitum nobis inculcat: *Fili accedens ad ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Eccl. 2. v. 1.* Tantùm arma præpara, atque ad ſubeunda prælia te accinge, dimicaturus cum hoſtibus tuis, qui majore, quàm unquàm aliàs in te furore exæſtuant, eò quòd ipſorum jam effugere manus decreviſti; Regem nimirum Pharaonem imitantur, qui quamprimum Iſraëlitas ſua è ſervitute elapſos eſſe reſcivit: *Tulit, quid quid in Ægypto curruum*

ruum fuit, & Duces totius exercitûs, & perſecutus eſt filios Iſraël. Exod. 14. Adeóque utiliſſimum erit, ſi primò tuos inimicos atque eorundem arma dignoſcas, & deinde eos debellandi methodum addiſcas.

Primus tuus inimicus, ùt nôſti, eſt mundus, & illius præcipua arma ſunt iſta duo: mala exempla, quibus præit, omnes ad amorem bonorum præſentium, & ad futurorum contemptum collimantes. Secundus inimicus eſt propria tua caro, quæ eſt inimicus domeſticus, atque adeò magìs metuendus, quia interiùs te oppugnat; & ipſius arma ſunt voluptatum fallaciæ, ac horror difficultatum, quæ in virtutum exercitio occurrunt. Ultimus inimicus eſt diabolus, qui ſe cum omnibus aliis conjungit, ſuámque fortitudinem ab illorum robore mutuat; ipſius arma ſunt violentia & inſidiæ; unde frequentiſſimè aut draco, aut ſerpens nuncupatur; Draco propter fortitudinem, ſerpens propter aſtutiam, qua animæ noſtræ ſalutem oppugnat. Verùm magìs ad ſingularia deſcendamus. Violentia & fortitudo dœmonis, non conſiſtit in eo, quòd vim inferat voluntati, utpote quæ ſemper libera eſt, nec à toto ſimul inferno cogi poteſt; ſed in eo poſita eſt, quòd phantaſiam turpibûs imaginibûs accendat, & horrendîs infidelitatis, atque blaſphemiæ tentationibûs perturbet, in quibus, cùm ij, qui experien-

tiam non habent, ſenſum inter & conſenſum diſtinguere non poſſint, perditos ſe, atque à DEO reprobatos exiſtimant. Verùm non permiſſum eſt dœmoni à DEO adeò frequenter iſthoc armorum genere nos impugnare, tantæque fortitudinis draconem induere: illud, quod ei frequentiùs eſt conceſſum, eſt, ſerpentem inſidiis imitari, uno ex ſeptem his modis, qui ſequuntur.

Primus modus eſt, ceſſare per aliquod tempus ab omni tentatione, ut homo ſe penitus ſecurum exiſtimet, ſempérque magìs ſui ipſius ſolicitudinem ſeponat; ſiquidem nimia ſecuritas, ùt alibi diximus, parens eſt negligentiæ. Venator quandoque nihil ſtrepitùs excitat, ſed tacitus quietúsque ſubſiſtit, donec fera, cui inſidiatur, confideat; hoc ubi factum eſt, tunc primùm eandem exoneratô ſclopô proſternit. Id ipſum non rarò facit tentator ſtygius: tacitus exſpectat, absque eo, quòd ulla unquam ſuggeſtione mala te perturbet, donec illi amicitiæ, aliíque illi periculo hæreas implicitus, quamprimum autem tuum te oppignerâſſe affectum advertit, tunc primum fatalem ſuam ſagittam intorquet.

Secundus eſt, majore impetu, & majore frequentiâ tentare illum, qui mutandô vitam ipſius ſe unguibus expedivit, quàm tunc fecerat, cùm adhucdum per priorem depravatæ vitæ licentiam incederet. Neque mirandum

hoc

hoc eſt: illius civitatis munimenta machinîs non quatiuntur, quæ ultro claves hoſtium manibus offert, ſed illius tantummodo, quæ magnanima fortitudine ſe defendit: *Eos dæmon pulſare negligit*, ait S. Gregorius, *quos quieto jure poſſidere ſe ſentit. L. 14. Moral. c. 12.*

Tertius eſt, à paucis initium ducere, ut viam ſibi pandat ad obtinendum multum, imò etiam totum, ſi dolus ſuccedat. Diabolus, dicebat S. Franciſcus, quandoque unicum ſolummodo capillum depoſcit: verùm, væ tibi! ſi vel hunc etiam conceſſeris; ex eo námque denſiſſimum funem nectet, quo in duriſſimam abſtrahet captivitatem. A Davide ab initio unicum tantummodo aſpectum poſcebat, & quidem ita è longinquo, & per accidens ſolùm non ex inſtituto in Uriæ uxorem defigendum: poterátne minus quidpiam ab homine Sancto, ſecundùm cor DEI efformato, tam altis à cœlo beneficiis ditato, tam mirabili Divinorum ſecretorum notitiâ prædito exigere? & tamen iſtud exiguum deſerviit tentatori ſtygio, armamentarij integri, machinarúmque loco, quibus Sanctum, quo forſan mundus tunc temporis majorem non habuit, fatali ictu proſterneret.

Quartus eſt, perſuadere, ut in tentationibus à conſcientiæ arbitro conſilium non petatur, eidémque hæ ipſæ tentationes non aperiantur. Ita facit, inquit S. Ignatius, homo

perversus, qui puellam quandam incautam quærit seducere: ante omnia alia huic inculcat, ut ne suis domesticis de sermonibus, aliisque, quæ inter se transigantur, vel verbulum faciat. Quam ipsam quoque ob rationem potestas dœmonum, potestas tenebrarum appellatur, quia, quam primum in lucem protrahitur, omnem suam vim amittit.

Quintus est, persuadere, ut jam consensisse vos in peccatum credatis, tametsi sit falsissimum; ut animum despondeatis, abjectísque armis, obluctari atque resistere desistatis. Si firmum habeas pravis cogitationibus nunquam consentiendi propositum; si sæpius fixo in DEUM animo contra importunas inferni tentationes protesteris; si sæpius Divino præsidio tuam animam commendes; si arbitraris, te plena voluntate, & apertis oculis nunquam tale peccatum commissurum, macte animo esto; quia signa hæc sunt satis manifesta non amissæ, sed relatæ victoriæ. Abbas Isidorus dixerat aliquando: quadraginta circumvoluti sunt anni, ex quo cum certo quodam vitio continuâ pugnâ luctatus sum, semper tamen mea ex parte victoria stetit. Verùm non ita facile est, nôsse tentationum sensum à consensu discernere; unde deceptor stygius ist hoc insidiarum genere ab incipientibus magnum lucrum reportat, nisi diligenter sibi ipsis attendant, & expertorum consiliis acquiescant.

Sex-

Sextus est, persuadere tibi, si aliquando cecideris, cessaturam esse tentationem, & finiendum prælium. Mendacium manifestum! quanquam non paucos seducat; certissimum namque est, crescere in nobis habitum bonum, si impiis suggestionibus resistamus; contrà verò augeri inclinationem perversam, novúmque identidem effrœni passioni robur superaddi, si iisdem consensum præstemus; atque ideo patefacere aditum uni peccato non est aliud, quàm multis portam aperire: *Peccatum peccavit Jerusalem*, inquit Propheta; *propterea instabilis facta est Tren. 8.* quasi diceret: quia semel peccato succubuit, usque adeò ipsius vires infractæ sunt, ut iterum iterúmque laberetur. Postquam Leo semel sanguinem gustavit, semper magìs eundem cicurandi difficultas succrescit.

Septimus est, persuadere, pugnam ad ultimum usque vitæ tuæ halitum duraturam, imò fermè in momenta fore difficiliorem. Et tamen prorsus oppositum contingit. DEUS apertè pollicetur, ducturum se animam per semitas virtutum, in quibus. superatîs primîs difficultatibûs, nihil ampliùs angustiarum, nihil offendiculorum sit inventura: *Ducam te per semitas æquitatis, quas, cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui; & currens non habebis offendiculum. Prov. 4.* Quando domare equum incipis, haud dubiè rideres illum,

qui diceret tibi, ipsum hunc equum semper fore ferociorem, tuisque ductibus minùs obsequentem, eò quòd in comperto habeas, eundem, ubi primi furoris impetus deferbuerit, adeò ad tuum arbitrium flexilem futurum, atque mansuetum, ut cum gaudio mansurus sit capistrum, ultrò obsequiosos pedes ad scholæ suæ regulas sublaturus, atque ad eum regendum vel sola virgulæ umbra sit suffectura. Ita se res habet cum corpore nostro, quod edomatur tandem, atque sub obedientiam redigitur, postquam primas furias, quies in prima vitæ mutatione oblucta-batur, submisit. Peccatores è contrario, semper majores in vita sua difficultates experiuntur, atque ipsorum semitæ semper fiunt magis laboriosæ, quia crescentibûs eorum peccatis crescunt quoque timores futurorum, & præsentium remorsus; unde quò longiùs in iniquitate progrediuntur, eò magìs fatigantur: *Lassati sumus in via iniquitatis. Sap. 5.*

Ecce! habes jam ob oculos inimicos tuos, & omnia ipsorum arma magìs formidanda: an ad eorum fortè conspectum cohorrescis? non ita homines sancti fecerunt, qui potiùs superabundabant gaudiô, propter insignia emolumenta, quæ in iis pro anima sua conspiciebant; unde S. Jacobus: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, c. 1. v. 2.* Emolumenta ista ad duo re-

reduci capita possunt, nempe; quòd tentationes & ad exuendum veterem hominem, & induendum novum nos juvent plurimùm. Inprimis tentationes parvos animi motus fortissimè reprimunt. Si feræ in Africa invenirent, quod comederent, biberéntve pro suo libitu, domari nullo unquam tempore valerent: at verò sitibundum palatum, & eluriens stomachus adeò illarum ferociam comprimit, ut à venatoribus fatigatæ ad obedientiam compellantur. Væ! nobis! si indomitis animi nostri passionibus omnia pro ipsarum votis concederentur: quis unquam illis edomandis, & maximè quis domandæ superbiæ sufficeret? Facilè utique credere potes, quòdsi tentatio tam præcelsæ sanctitatis Viro, qualis fuit gentium Apostolus, adeò fuerat necessaria, ut ob suam virtutem, & propter suas revelationes tumidô superbiæ ventô non inflaretur, quantò magis necessaria futura sit nobis, qui sumus arundines, ad quas agitandas quilibet superbiæ flatus sufficit. Per tentationes Divina Bonitas nos ad se revocat, si ab illa perfidi recesserimus: ea ratione, qua tumultuantis pelagi tempestas fugitivum Jonam ad obedientiam reduxit: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine. Psal. 82.* Et pariter, si aliquando redimus, efficit, ut nunquam ampliùs inde recedamus: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes*

nes tuas. Pſal. 118. Per hoc, quòd terror incutiatur infantibus, efficitur, ut fortiùs matrum ſuarum ſinui ſe adſtringant, indéque diſcedere magìs pertimeſcant. Similî prorſus modô tentationes homini novo fortitudinem conferunt. Quantò duriùs Ægyptij populum Hebræum affligebant, tantò magìs ille creſcebat, tantò ampliùs illius ſe ſe multitudo explicabat, id ipſum tibi quoque eveniet; ſi tuas tentationes ſuperare noveris, creſcere te facient in virtute. Creſcet tua fides, ſi infernalis deceptor ſuîs illam mendaciîs exagitaverit. Creſcet tua caſtitas, ſi impuris phantaſmatîs fuerit impugnata. Creſcet tua charitas, ſi variæ amaritudines tuum animum excruciârint: atque adeò tandem dœmones, qui tentationibus ſuis te oppugnant, tanquam apes te circumdabunt: *circumdederunt me ſicut apes. Pſal. 117.* Quia, ſicuti apes, dum ſuô te aculeô lædunt, levi, modicúmque dolorem ferente ictu te lancinant ſibi verò ipſis mortiferam plagam infligunt. Videſis itaque, absque tentationibus te nunquam virtutem obtenturum, aut ſaltem hanc nunquam ad gradum quemdam excelſum aſcenſurum. Væ auro! ſi ignis non foret: *Quid times ignem, ſi aurum es?* inquit S. Auguſtinus, *Tract 5. de diverſis*; & ideo, illius loco, quòd ſuperfluo timore torpeſcamus, id unicè jam agamus oportet, ut ex iis fructum referendi me-

methodum arripiamus, gloriosam in hac pugna victoriam reportandô.

Ut in aliis præliis victoria obtineatur, ars simul & fortitudo requiritur: at verò, si à magnis Heroibus dimicetur, utraque simul conjungitur: & in prœliis spiritualibus cum securitate vincitur.

Jam, quod in nostro casu ad fortitudinem attinet, ea, ùt nôsti non in brachio, sed in animo & corde residet. Inprimis firmissimum animô propositum concipe nunquam credendi inimicis tuis in perpetuum: *non credas*, inquit Dominus, *inimico tuo in æternum. Eccl. 12. v. 10.* Si caro tua promissîs voluptatum illecebrîs te alliciat; propositis insuperabilibus difficultatum montibus terrere te contendat, profundè animô tuo infixam hanc veritatem teneas necessum est, quòd illi montes sint vanæ nebulæ, inanis sit & brevis voluptatum dulcedo, sordida, & vix brutîs animantibûs digna. *Non credas inimico tuo in æternum.* Si mundus suîs maximis, nihil aliud præter bona præsentia spectantibûs, aut aliorum tibi similium, diversam à tua vivendi rationem sequentium exemplô avertere te à via recta laboret, firmissima indubiáque fide credas opus est, hæc mundi axiomata leges esse inimici supremi Numinis, præcepta cujusquam insani, in omnibus Incarnatæ Sapientiæ oppositas; Leges cujusdam sacro anathema-

te percuſſi, & à ſanctiſſimis JESU Chriſti orationibus excluſi; eúmque, qui ad illorum normam vitam ſuam inſtituat, certiſſimè ſuam inſaniam in omnem æternitatem deploraturum. Et quantum ad exempla pertinet, ſi Electorum exiguus, ingens è contrario reproborum eſt numerus; per ſe manifeſtum eſt, quòd cum paucis, & non cum multis vivere debeamus, ſiquidem accenſeri electis, non verò reprobis velimus. *Non credas inimico tuo in æternum.* Multò minùs fidem adhibere dœmoni debes, qui eſt hoſtis quidam implacabilis, inimicus æternus, qui tantum tibi vult mali, quantum ejusdem vult ipſi DEO. Et ideo, quæcunque demum & qualicunque importunitate tibi ſuggeſſerit, parî ſemper conſtantiâ illius molimina irride, immotóque ſemper animô iis magnanima repulſa obſiſte. Quid mali unquam ab ipſo metuas, ſi mali quidquam inferre poteſt nemini, niſi volenti? *Non vincit*, ait S. Bernardus, *niſi volentem.* Petierat aliquando ab Athenienſibus Philippus Macedoniæ Rex, ut ſuo exercitui per ſuas regiones tranſitum concederent; illi verò reſponſionis loco quoddam folium remiſêre, à capite ad calcem uſque oppletum tribûs hiſce ſolîs, ſed cubitalibûs litteris: NON. Simile quoddam *Non* tu quoque omnibus tentationibus reponas opor-

oportet, & quanticunque discriminis prœlium exiterit, tua ex parte victoria stabit.

Quamquam hæc fortitudo non hoc solùm requirat, ut ad malum pellicientibus inimicis generosum istud *non* opponas, sed insuper etiam hoc exigat, ut multos actus contrarios elicias. Si caro tua prohibitæ voluptatis illecebras tibi proponat, promptissima voluntate protestare, quòdsi hoc momento omnibus Salomonis gaudendi deliciis tibi copia fieret, te libentissimè illas omnes Christo Domino pro te cruci affixo in sacrificium esse libaturum. Contra mundum protestare, tametsi omnes reliqui homines ipsius leges amplexuri, suámque illis vitam conformaturi essent, nunquam te aliis, quàm DEI tui præceptis obedientiam præstiturum. Si diabolus te in fide tentaverit, protestare, paratum te esse, fidem tuam ipso etiam sanguine subscribere, quemadmodum S. Petrus Martyr fecerat, qui lethali vulnere percussus sanguine ex eo prorumpente, priusquam sanctam suam animam efflaret, terræ hoc verbum inscripsit: *Credo.* Si te in diffidentiam ac pusillanimitatem tentet impellere, protestare cum S. Jobo, te, etiamsi DEUS cum dextera gladio obarmata obvius tibi procederet, quasi cor tuum transfixurus, firmissimè nihilominus in eo speraturum: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Job. 13, v. 15.* atque simili ratione reliquis omnibus dia-

diaboli tentationibus obsiste. Hoc est dæmonem illo ipso, quem nostram in perniciem tetenderat, laqueô implicare: *In laqueo isto, quem abscónderunt, comprehensus est pes eorum. Psal. 9.* Hoc est tanquam Arcam Noëticam æstuantibûs aquarum fluctibûs attolli, non submergi; hoc est ex glacie in Chrystallum converti: *E glacie Chrystallus evasi.*

Cum fortitudine deinde conjungenda est ars; quæ primò in eo consistit, quòd statim principiis resistamus. In principio tentationis firmo robore pollet anima, & debilitate inimicus torpescit, tuas negligentiâ vires enervas; inimico autem interea propter hoc victoriæ initium fortitudo succrescit. Longè difficilius est confertas hostium turmas repellere, quando suum vexillum oppugnatæ civitatis mœnibus jam infixerunt, quàm fuerat antè eosdem impedire, ut ne unquam eôusque pertingerent: *Beatus* (verba sunt Psaltis Regij) *beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Psal. 136.* quasi dicat: quam primum exsurgere in animo tuo motum Divinæ Legi contrarium advertis, noli exspectare, usquedum adolescat, sed adhucdum infantulum magnanimè resistendô manu comprehende, protinúsque actu quodam oppósito maledictam hanc sobolem petræ allide; & tum vocare beatum te poteris propter spem securam obtinendi coronam sempiternam:

Bea-

Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Aliqui sunt, qui sub initium infausto huic partui blandiuntur, & quid mirum, si postmodum triumpho ducantur, ubi inimici adoleverint: incipitur cum tentatione misceri sermocinatio, & non absolvitur tractatio, donec deditio concludatur.

Verùm hæc nondum tota ars est ad hanc pugnam requisita: illud, quòd plurimùm adfert emolumenti, est nôsse commendare se Domino DEO, & nostræ debilitati ab eodem suppetias impetrare. Hoc erat monitum, quod discipulorum suorum animis altissimè impressum cupiebat magnus ille DEI servus, & spiritûs Magister Joannes Avila: *tentatio ad te*, solebat dicere: *& tu ad DEUM.* Imò hoc est monitum ab ipso mundi Redemptore, qui utique authoritatis est omni exceptione majoris, nobis relictum: vigilate, & toto corde vos ad DEUM convertite, si vincendi tentationem vobis est animus: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Matt. 16.* quod ipsemet opere ipso etiam fecit non ex necessitate, sed nobis pro exemplo, ad initium præcipuè sacratissimæ suæ passionis. Similiter Psalmi, qui tam apertè nos viam salutis edocent, pleni sunt supplicibûs votîs iteratò ad DEUM pro impetrando auxilio emissîs, & decantatîs eidem pro illo obtento laudum præconiîs. Ad hanc normam tua arma instruas oportet; &

tunc

tunc tentatio emolumento tibi erit, non damno: *Faciet cum tentatione proventum. 1. Cor. 10* tuáque propoſita ſimilia erunt partubus frigidiſſimo hyemis tempore prognatis, qui, ut Medici ajunt, ſummo vigore, & vivaciſſimîs ſpiritibûs à natura inſtruuntur.

Verùm non ſufficit eſſe fortem in ſuſtinendo: ſed major quandoque ad abſtinendum fortitudo requiritur: *ſuſtine, abſtine.* Iſtud abſtinere, quod ſecundô locô ad noſtram ſalutem in tuto reponendam eſſe neceſſarium diximus, non iſtud tantummodo denotat, quòd abſtinere debeamus ab illo, quod manifeſtè eſſe peccatum dignoſcimus; hoc namque ſupponitur, firmiſſimè fixum tibi eſſe, ratúmque, mille vitas profundere potiùs, quàm Divinâ amicitiâ excidere. Itaque abſtinere idem hìc eſt, atque ſpoliare ſe rebûs illîs omnibûs, quæ, tametſi ex natura ſua graviter illicitæ non ſint, ad peccatum tamen occaſionem & viam aperiunt. Et quia in hac materia te vellem quàm optimè eſſe inſtructum, ſuppone, objecta delicioſa duobûs præcipuè modîs nos ad peccandum pertrahere: aliquando frequenter nos ad lapſum inducunt, quando tali periculo nos exponimus; aliquando rariùs. Si frequenter ad peccatum nos impellunt, occaſio proxima vocantur; & neceſſariô fugienda ſunt neceſſitate præcepti. Quòdſi autem rarò ad flagitium nos pertrahunt,

hunt, aut ad illud remotè ſolummodo diſponunt, occaſiones remotæ appellantur, quarum fugam non equidem ſupremi Legislatoris mandatum imperat; prudentia tamen, & boni in rebus animæ regiminis regula quàm maximè commendat. Supponamus itaque, ab aliquo tempore peccaminoſa te quadam amicitiâ illaqueatum vixiſſe; ita quidem, ut frequentando quamdam converſationem; commercium quoddam aut per litteras, aut munuſcula, aut viſitationes continuando ſæpius in grave quoddam peccatum prolapſus fueris: jam conſcientiæ tuæ director haud dubiè circa hanc obligationem te benè inſtruxerit, vi cujus obſtrictus es, ut nunquam ampliùs huic te diſcrimini exponas: unde nihil aliud hìc mihi faciendum jam ſupereſt, niſi ut eam ipſam inſtructionem denuo in memoriam tibi revocem, admonendô te, illud ipſum præceptum, quod ad vitandum peccatum te obligat, obligare te etiam, ut illas ædes non ampliùs aut ſaltem non ſolus accedas, ut à ſimilibus epiſtolis, à ſimilibus munuſculis mittendis abſtineas; cùm illa ipſa Lex, quæ prohibet peccatum, etiam proximum peccandi periculum prohibeat.

Quòdſi laqueus occaſionis ita foret à neceſſitate conſtrictus, ut eundem disrumpere tibi moraliter foret impoſſibile, etiam his circumſtantiis, quæ ſinè dubio in ſtatu infeliciſſimo

te

te collocarent, confessarius tuus jam explicaverit tibi obligationem tollendi externæ illius occasionis periculum per actus tuos internos; hoc est, per recursum frequentiorem ad Dominum, per frequentiorem Sacramentorum usum, & per majorem bonorum operum multitudinem; quemadmodum, qui viam mutare lubricam non potest baculo innititur, ut lapsum devitet; & sicuti, qui venenatæ viperæ amputare caput non potest, saltem dentet evellit. In his veritatibus te bene instructum crediderim, quia ad bonam confessionem requiruntur; & væ tibi! si hac in parte tuum propositum claudicaret! nam sanitas tua aut apparens tantummodo foret, aut brevis: *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere consueverunt.* Isthæ antiqui erga peccatum affectûs reliquiæ brevi te iterum in scelus impellerent. Et quid tunc prodesset sperare, te non relapsurum? temeritas hæc est, non spes; cùm illi innitatur, quod DEUS nunquam promisit, DEUM nempe suô illi adstiturum auxiliô, qui voluntariè se periculo exponit: cùm tamen è contrario temerariis ejusmodi hominibus non obscurè lapsum prædixerit: *Qui amat periculum, peribit in illo. Eccl. 3. v. 27.* & apertè sit protestatus, nihil se cum ipsis commiserationis habiturum: *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus his, qui appropriant bestiis? Eccl. 12, v. 13.*

Ve-

Verum enim verò, hæc non est lis, quam credere quis possit, conscientiæ tuæ arbitrum non decisam reliquisse. Ad illud igitur progrediamur, quod dicendum adhuc remanet, ad illas nimirum occasiones, quas remotas appellant, quia rarò ad peccandum nos inducunt, & tantummodo longè animam ad lapsum disponunt. Quemadmodum fossores, qui in obsidione cujusdam civitatis non dimicant, non injiciunt ignes, non occidunt, sed viam aperiunt exercitui, qui postmodum hostes oppugnat, ferrò prosternit, & injectis ignibus omnium ædes exurit. Remotæ hujusmodi peccandi occasiones sunt, lusus, libri non inhonesti quidem, sed profani, visitationes, convivia, nimiùm superbus & affectatus vestium luxus, & aliæ relaxationes, quas supra reprehendimus. Sed præter hæc circa duo præcipuè te cuperem cautissimum, ut ab utroque abstineas, scilicet circa libertatem aspiciendi, & circa libertatem conversandi.

Quid putas esse oculos, quos sub fronte collocatos circumfers? sunt infideles duo proditores, qui cum hostibus nostris colludunt, qui frequenter eorum manibus nos inferunt: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. Eccl. 9. v. 11.*

Multi, cùm mulieris non suæ faciem contemplarentur, & animam & salutem amiserunt;

runt; non quidem ſemper eô ſtatim momentô, quo oculus in vultum defigebatur, ſed ſucceſſivè & pededentim: *viſum*, ait Gloſſa, *ſequitur cogitatio*, *cogitationem delectatio*, *delectationem conſenſus*, *conſenſum opus*, *opus conſuetudo*, *conſuetudinem neceſſitas*, *neceſſitatem deſperatio*, *deſperationem damnatio.* Ita illud, quod initiò fuit tenuis quidam vapor è terra in altum aſcendens, inde poſt modicum temporis in pluviam ſolutum rurſum decidit, deinde induratur in glaciem, & denique in lapidem mutatur. Credísne, Sanctos, niſi hoc ſæpius contingeret, adeò ſolicitos in oculorum ſuorum cuſtodia extituros fuiſſe? B. Aloyſius Gonzaga ne quidem in Sereniſſimæ ſuæ Parentis faciem unquam conjicere oculos audebat. S. Hugo Epiſcopus, quibûs ratione ſui officij multitariam agere cum proximis obligabatur, ne quidem ſemel aſpicere cujusquam fœminæ vultum ſuſtinuit; & S. Thomas Aquinas, etiamſi à DEO caſtitatis dono fuiſſet munitus, extremô ſemper ſtudiô fœminarum aſpectum tanquam faciem baſiliſci fugiebat. Verùm dices mihi, qua ratione poſſibile ſit, vivere in mundo, converſari, & agere cum mulieribus, & nunquam in eas obtutum defigere? nunquid autem relata ſuperiùs Spiritûs ſancti verba ponderâſti, quibus multos fieri reprobos aſſerit, non quia mulieres obiter aſpiciunt, ſed quia illas ex inſti-

tu-

tuto contemplantur, eatundémque pulchritudinem admirantur? *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt.* Necessarium itaque est, ùt periculosum quoddam objectum in oculos incurrit, eosdem ab illo protinus avertere, & nullatenus in eo defigere. Ex omnibus animalibus, quæ aquam bibunt ex Nilo, soli canes à crocodillo securi sunt; quia bibunt, & fugiunt; ad hoc cùm animalia reliqua non advertant, sæpe crocodillorum dentibus in prædam cedunt.

Altera occasio, quam declinare debes, ut devotionem conserves, est libertas in conversando. Non loquor tantummodo de illis conversationibus, quæ sunt perversæ & scandalosæ, in quibus illi socij, qui venenum hausérunt, facilè etiam aliis venenato suo illud halitu afflant: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava. 1. Cor. 15.* de illis etiam loquor, quæ liberæ non sunt, sed nimiùm diuturnæ. Qua ratione bona conservare animæ proposita poteris, si diem integram in circulis exigas? fornax, cujus ostiolum non clauditur, suum calorem non servat. Paululum recedere ab hominum tumultu, aliquantulum linguæ indicere silentium, parumper secedere in solitudinem opus erit, si desideras, ut DEUS ad cor tibi loquatur. *Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus. Os 2. c. 14.* Primum circa quod natura in efformando fœtu in ute-

ro materno latente occupatur, est, quòd cuticulas illas elaboret, intra quas eundem circumvolvat. Ex primis tuis propositis fit, certum quoddam intra diem tempus seligere, quo tecum solo, & cum DEO agas, examinandô tuam conscientiam, commendandô te Superis, librum quendam spiritualem legendô. Sed enim, comilitones tui illudent tibi, & tanquam exoticum ac melancholicum exsibilabunt? Simili ratione & Noëmum, & Arcam, quam fabricabat in eandem se inclusurus, scelerati socij explodebant; verùm ubi aperiri cœperunt cataractæ cœli, & tota terra inundari diluviô, tota contentione in eadem habere locum anhelabant, & vano ululatu inutiles voces attollentes, sublatîs in cœlum manibûs ingrediendi licentiam trustra flagitârunt.

Ultimò denique ad perseverandum in via salutis necessarium est, ut ad bonorum operum exercitium incumbamus: *sustine, abstine, age.* Via, quæ non frequentatur, brevi sylvescit; aqua, quæ stagnat: se ipsam corrumpit; ensis, qui non usurpatur, seipsum rubigine inficit; instrumentum, quod non tractatur, seipsum cordîs exarmat; domus, quæ non incolitur, per seipsam collabitur. Hoc ipsum quoque animæ tuæ continget, nisi eandem bonorum operum studio suffulcias: *Magìs satagite, ut per bona opera certam vestram vo-*

vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando. 2 P. 1. Cura, & perſeverantiam tuam in bono, illiusque Decreti, quod Divina Providentia de tua ſalute concepit, executionem impetrare tam conſtantî multorum bonorum operum exercitiô, ut nunquam dicas; ſufficit. *Magis ſatagite.* Non quidem, quaſi donum perſeverantiæ promereri condignè bonîs operibûs poſſet; ſic enim gratia non foret: ſed quia conſuevit Divina Bonitas, illis majoribûs auxiliîs aſſiſtere, qui majore cum fervore operantur, illíque gratiam quandam magis ſpecialem impertire, qui gratiæ jam datæ reſpondet: *ut bonis operibus inhærendô tuæ ſemper virtutis mereamur protectione defendi (Orat fer. 6. Heb. 1. Quadr.)* Unde conſultiſſimum erit, quorundam bonorum operum, quæ exerceri ab te poſſint, ſelectum facere, tuúmque rogare confeſſarium, ut illa ipſa tibi pro pœnitentia injungat, ut omni viâ tuam pigritiam excutias, ipſisque tuis operibus majus meritum adjungas.

At verò cujus generis opera illa eſſe oportet, quæ tantum tibi bonum obtineant? Jam ſcis, triplicem eſſe obligationem noſtram, erga DEUM, erga proximum, erga nos ipſos. Jam verò, quantum ad nos ipſos attinet, quandam pœnitentiam etiam exteriorem; quandam abſtinentiam, quoddam jejunium,

quandam disciplinam, aut quoddam aliud afflictionis genus adhibeamus oportet, quod vitiosos habitus infringat, & bona nostra proposita necessario sæpè incingat: *ubi non est sepes, diripietur possessio. Eccl. 36. v. 27.* Ita pariter aliquod exercitium charitatis erga proximum requiritur, nimirum, ut visitemus eum infirmum, aut indigenti subveniamus, aut compatiamur afflicto, aut errantem excusemus, aut, si aliter non possimus, saltem nostris precibûs adjuvemus, aut in doctrina Christiana ipsius domesticos instruamus, aut cum amore eosdem corrigamus. Præ omnibus autem illud stabiliendum firmissimè, quod præstare DEO debemus; nempe, ut quidpiam è sanctissima *Domini Passione* meditemur, ut Divina ipsius beneficia gratâ memoriâ recolamus, ut aliquibûs sanctissimam Virginem obsequiis veneremur, quibûsdam devotionibûs Sanctorum patrocinium invocemus, visitemus devotè quasdam Ecclesias, & tremendo Missæ Sacrificio assistamus. Specialiter autem ad illa duo intentum habeamus oculum oportet, quæ ad bene vivendum omnium maximè conferunt, scilicet ad frequentem Sacramentorum usum, & ad Orationem.

Loquendô de frequenti Sacramentorum usu; quemadmodum DEUS olim in Paradyso terrestri arborem vitæ plantavit, ut homi-

nes

nes ex ea comedentes morte non morerentur; ita in horto Ecclesiæ aliam quandam vitæ arborem illâ sinè comparatione æstimabiliorem plantavit, quæ est Divina Eucharistia, ut animæ per gratiam reparatæ ampliùs mortem non viderent. Sicuti autem ad conservandam vitam corporalem non sufficisset aliquoties duntaxat intra annum ex arbore vitæ fructus manducare, sed necessarium fuisset, ut quis iisdem se frequentiùs reficeret; ita pariter ad conservandam vitam spiritualem non sufficit semel, cùm centies deberemus, ad recipiendum DEUM Eucharisticum accedere; sed frequenter sacræ huic mensæ accumbendum, quoties nempe status nostri conditio patitur, & quoties nostro confessario videbitur. Propriâ edoctus experientiâ advertes, quàm prodigiosi sint effectus Divini hujus cibi, sæpius, & cum præparatione debita accepti. Lepores in alpibus altissimis albi sunt coloris, quia ferè continuò inter nives habitantes, frequenter ex iis se nutriunt: Multæ volucres in Molucis ne quidem mortuæ dissolvuntur & computrescunt, quia ordinariè aromaticis illius regionis frugibus se sustentant. Unde inimicus infernalis tantos conatus adhibet, ut à cœlesti hoc nutrimento nobis abstinentiam persuadeat; quò nimirum ab omnibus simul bonis impeditos uno ictu ita debilitet, ut etiam absque pugna triumphô

phô nos ducat. Simile quidpiam ut faceret, si absque magno labore subjugare Bethuliam desideraret, Holoferni suadebatur, ut nimirum primò aquæ ductus, qui aquam ad civitatem devehebant, succideret; deinde illam ipsam aquam aliò averteret, ne ad exstructos circum Bethuliam fontes posset pertingere.

Ultimum remedium tam potens, ac quodvis atque ad obtinendam in bono constantiam, necessarium est devota oratio, tam illa, in qua pia considerationc Divina Mysteria contemplamur; quàm altera, in qua Divini Numinis auxilium flagitamus. DEUS in pluribus Scripturæ locis; sed præcipuè per Ecclesiasticum nobis istam constantiam pollicetur, si frequenter sanctissimam ipsius legem, & veritates in ea nobis revelatas meditati fuerimus: *Cogitatum habe in præceptis DEI, & in mandatis illius maximè assiduus esto; & ipse dabit tibi cor. Eccl. 6. c. 37* Occupa cogitationes tuas in contemplanda Lege Domini, & constanti meditatione sanctissima ipsius mandata atque Mysteria ruminare, & ipse cor tibi largietur Divina fortitudine plenum ad omnes difficultates devincendas. Et alio in loco adhuc apertiùs, *memorare*, inquit Dominus, *novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7. c. 40.* Ratio autem est; quia diabolus non habet aliud medium, nos ad consensum peccato præstandum inducendi, quàm si propo-

sitis,

sitis, oblatisque objectis prohibitis nostras passiones excitet; ita ut turbata ratio sibi persuadeat, perdere DEUM sibi esse proficuum, ut sibi ipsi in hac occasione queat satisfacere.

Jam veritatum æternarum consideratio horribilem fraudem detegit in hujusmodi tentatione latentem; atque adeo voluntatem roborat, ut firmissimum nunquam consentiendi propositum concipiat, & potiùs mortem eligat, quàm peccatum admittat: *Nisi quòd Lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea. Psal. 118.* Facilî negotiô me irruens tentatio subruisset, nisi me sancta meditatio sustentâsset.

Altera Orationis pars, in qua DEI auxilium petimus, ad perseverantiam adhuc magis necessaria est, ita quippe necessaria est, atque gratia ipsa. Ratio hujus est, quia, postquam DEUS nos primâ suâ gratiâ prævenit, ordinariè non pergit continuare suum auxilium, nisi de novo illud efflagitemus, atque cum fide, humilitate, & perseverantia in nostris precibus ad eum recurramus. Hinc nullus est peccatorum, qui, etsi omni aliâ gratiâ destituatur, semper etiam istâ, qua DEO commendare se possit, gratiâ deficiat; & similiter nullus est peccatorum, qui, si cum humilitate, cum fiducia atque constantia ad DEUM confugerit, exaudiendus non sit, & in statum bonum reponendus; quia Divina Bonitas

ora-

orationem esse voluit medium quoddam universale, quod Divinæ suæ Providentiæ decretorum executionem impetraret, quod omnibus nostris infirmitatibus mederetur, quod omne nobis à cœlo bonum obtineret Proinde, ut ad praxin veniamus, noli unquam pertimescere qualemcunque tentationem; noli terreri tuis peccatis, nec pravis habitibus inde contractis; sed statue, ardentioribus semper ad DEUM precibus suspirare, & effectum senties: *Subditus esto Domino, & ora eum, & ipse faciet. Psal. 36.* Clama ad cœlum sub auroram, quamprimum excitatus è somno lectum deseris, clama sub vesperum, ubi lecto te credis, interdiu, ubi Ecclesiam intras; humilia ad DEUM vota evibra non modò in tentatione, sed ad primum statim tentationis pulsum suspira ad Dominum in prosperitate, & afflictione; uno verbo, semper supplicibus cœlum votis pulsa, ut ipse mundi Servator te docet: *oportet semper orare, & non deficere. Luc. 18.* & videbis, quòd tuæ orationi Divina sese junctura sit Misericordia: *Ascendit oratio, & descendit DEI miseratio.* Ita teste Cassiano sua in eremo antiqui Monachi faciebant: perpetuò ex ipsorum ore hæc verba sonabant: *DEUS in adjutorium meum intende.* Cum his diem incipiebant; cum his eandem quoque terminabant; hæc in omnibus suis orationibus repetebant, & in illo momento,

quo

quo somnô solvebantur, in illa prorumpebant; quia, cùm Divinum auxilium sibi semper esse necessarium agnoscerent, sciebant quoque nullum esse ad illud impetrandum efficacius remedium, quàm continuis ad cœlum precibûs suspirare. Speciali autem diligentiâ in templo sub sacrosancto Missæ sacrificio DEO te commenda; hoc námque propriè tempus est Divinarum misericordiarum, in quo orationes nostræ nunquam laturæ sunt repulsam, quia conjunctæ sunt cum precibus & meritis nostri Redemptoris, qui ad obtinendum nobis omne bonum æterno Patri in Sacrificium offertur: adeóque ut omnia paucis concludam; in faciendo, quod potes; & in petendo illo, quod non potes, posita erit tua perseverantia, utì dicit S. Augustinus, & S. Synodus Tridentina confirmat: *DEUS impossibilia non jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.*

IN-

INDEX LECTIONUM.

I. *Impedimentum 1. fidei debilitat. p. 1. Damna hujus debilitatis. 5. Ejusdem remedia.* 12

II. *Impedimentum 2. peccandi libertas sub spe obtinendi veniam beneficiô Confessionis. 31. Hujus damna. 35. Ejusdem remedia.* 40

III. *Impedimentum 3. parùm curare peccata luxuriæ. 56. Hujus damna. 58. Ejusdem remedia.* 71

IV. *Impedimentum 4. superbia.* 80. *Hujus damna. 84. Ejusdem remedia.* 91

V. *Impedimentum 5. otium, & occupationes superfluæ. 101. Damna ex iis emergentia. 103. Remedia.* 108

VI. *Impedimentum, quod saluti animæ offert inordinatus amor voluptatum. 119. Damnum, quod affert saluti isthic inter delicias vivendi modus. 124. Ejusdem Remedium.* 134

VII. *Impedimentum, quod affert saluti inordinatus amor divitiarum. 143. Damnum ex hoc impedimento. 144. Remedium.* 155

VIII. *Impedimentum, quod affert saluti durè cum proximo agendi ratio. 170 Damnum illius. 179. Remedium contra illam.* 184

IX. *Impedimentum, quod affert saluti exiguus DEI timor. 193. Damnum. 196. Remedium.* 203

X. *Bonum, quod facere debet Christianus, postquàm salutis impedimenta removit.* 223

FINIS.